75 105/12
10
14
6 /12

Andreas Scarberger

4

N° 36

QVADRIGA PIETATIS,

Continens

TRACTATVS IV.

vt sequens pagina declarat.

OPERA CVIVSDAM PAtris è SOCIETATE IESV.

IN GRATIAM SODALITATIS Angelicæ & Beatissimæ Virginis MARIÆ.

Secundò edita cum libello de S. ANGELO CVSTODE, *R. P. Fran. Albertini Soc. Iesu Theol.*

Ex libris [redacted] Sebastiani Capellani

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud Ioannem Kinckium, sub Monocerote.

ANNO M. DC. XV.

Permissu Superiorum.

HOC LIBELLO CONTENTA.

PP. Eremitaru Camald. in Insula Vigrensi

CENSVRA.

Hæc Quadriga pietatis continens tractatus quatuor sic inscriptos.

1. Speculum iusti & peccatoris.
2. ClauisParadisi siue de Contritione & Attritione.
3. De operibus Christianis.
4. Collyrium spirituale.

conscriptos à diuersis Patribus Societatis Iesu, vtiliter imprimi poterunt. Datum Ipris die xxv. Augusti. 1610.

Guiliemus Zijlof S. T. Licent.
Cathed. Eccl. Iprensis Canon.
& Librorum Censor.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

AEMVLOR *vos Dei æmulatione. despōdi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. 2. Cor.* 11. Verba sunt animi spirantis, & miro de aliis benè merendi zelo incēsi, digna profectò principe Apostolo, *quem quotiescunque lego* (verbis vtar D. Hieronymi epist. 50. ad Pammach.) *audire mihi videor non verba sed tonitrua.* Atque vtinam, iterum vtinam sic affari animas haud vanè possint, quicunque hoc tempore saluti ac perfectioni ipsarum vel officij ratione, vel charitatis impendio sunt addicti. siquidem vti sunt, ita meritò à sanctis Patribus appellantur Paranymphi, qui pias nuptias concilient, & Sponso cælesti sponsas quā plurimas adiungant. Itaq; D. Chrysostomus in dictū locū Apostoli, Similes eos affirmat Seruo magni Abrahæ, quē is adiurauit:

nit per Dominũ cæli & terræ, vt filio suo Isaac de terra & cognatione sua sponsam adduceret. Ita videlicet magnus Deus seruos mittit, quasi pronubos suos, in terrã hanc nostrã, & cognationẽ suã. *Et præsens quidem tempus*, inquit ibidem, *desponsationis est, futurum verò thalamorum. sed ô res nouas? In mundo virgines manent ante nuptias, post nuptias non item: hîc autem non sic. nam licet non sint virgines ante nuptias illas, post nuptias tamẽ virgines fiunt. sic omnis Ecclesia virgo est.* Porrò illud mihi nunc, Lector, considera: Si qua virgo rusticana & infimæ stirpis, desponsa regi potentissimo, squallore, ac sordibus suis gaudere pergeret, atq; adeo ipsam formæ venustatẽ, ac naturæ dotes, quibus regis animũ sibi deuinxerat, despicatui duceret; quid hic ageret Paranymphus, sponsi causa? nũ speculũ aliquod virgini ante oculos poneret, in quo primũ suã cerneret deformitatẽ, se, suosq; mores corrigeret? certè & spongiã adderet, ac medicamentũ aliquod panchrestũ, quo vitiũ omne, ac næuos etiã auferret.

tum illi vestes pretiosas, aurũ ac gẽmas, cæterumque mundum muliebrem apponeret, siue ad sponsi gratiam, siue ad pompã, & ostẽtationẽ. doceret deniq; quemadmodũ deinceps in sublimitate regia modestè se ac submissè gereret, memor generis, memor defectuum suorum. Hæc, & alia, opinor, faceret Paranymphus. Ad eundem verò modũ in hoc studiũ nostrũ, in hoc voti nostri caput esse par est, vt cælesti Sponso animas adornemus, quas sibi *Sponsauit in fide*, & lacteã illis rectamq; cęli viã, à qua peccatũ abducit, prꝫeamus. quã quidem operam hoc libello illis nauare est animus: quod mihi iuxta, illisq; benè, feliciterque euenire volo.

Primò itaque proponemus illis *Speculũ peccatoris & iusti*, in quo ante omnia suam discant vilitatem, ac turpitudinem, eamque detestentur. etenim rectè monet Propheta Iob. c.28. *Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo, intelligentia.* Deinde remediũ præsentissimum, seu peccati antipharmacum statuetur *frequens Contritio, & quotidianum*

Exa-

SPECVLVM PECCATORIS, AC IVSTI,

Specie Dialogiſmi:

IN QVO QVIDEM ILLORVM cernitu extrema infelicitas, horum verò felicitas inæſtimabilis.

E SACRIS LITTERIS atque Eccleſiæ Catholicæ Doctoribus.

COLONIÆ,
Apud Ioannem Kinckium ſub Monocerote,
ANNO M. DC. XV.

DIALOGISMVS

Inter duos ſacrarum concionum Auditores.

Polymathes & Philomathes,

PHILOMATHES.

PAucis ab hinc menſibus (recordaris opinor) audiuimus vnà egregium illum diuini verbi præconem, de peccati grauitate, itemq; de gratiæ pulchritudine publicè ad populum verba facientem, quantos ille animorum motus concitabat, cùm hinc quidem peccata omnia ardẽtiſſimè deteſtaretur, illinc Dei gratiã, eius quaſi amore incenſus, ſummis ad cœlum laudibus ferret? Nihil particulatim tibi in mentem venit omnium, quæ tam diu nè diſſerebat? O vtinam in quempiam incidam, qui audita mihi in memoriam reuocet! qui geminum quaſi ſpeculum ante oculos ponat, & in altero quidem externam peccatoris infelicitatem, in altero ſummam iuſtorum felicitatem demonſtret!

POLYMATHES.

Gaudeo me nactum esse hãc colloquendi opportunitatem, interlóquendi recolendi quæ audiuimus illâ concione. nihil enim admirabilius; nihil conducibilius, nihil è quo maiores in omnem vitam fructus mihi spondeam: ac proinde sic animo meo impressa sunt, vt in perpetuum deleri non posse confidam.

PHILOMATHES.

Agedum ingredere hunc sermonem, atque in primis nostris oculis subijce Speculum peccatoris.

POLYMATHES.

Parebo lubens, sed (quod præmoneo) nulli adstrictus ordini aut legibus in dicendo, exponam quæ suggeret memoria, quoad consequi potero, nudo ac simplici genere orationis.

SPECVLVM PECCATORIS.

1. Peccatum mortiferum (inquiebat Concionator) est auersio à Deo, summo bono & infinito, simulque conuersio ad creaturam, eoq; summa vanitas censenda, atque extremum

mum omnium malorum.

2. Peccatum ex diametro Deo aduersatur ac repugnat. nam quid est Deus? natura quædam infinita, & inuolucrum omnis perfectionis, bonitas immensa, sapientia interminata, potentia, iustitia, misericordia prorsus inexhausta.

3. Quid peccatum? ex se & ex sua natura nihil ac pro nihilo habendũ, inuoluit autem malitiam infinitam, amentiam, ignorantiam, infirmitatem, iniuriam aduersus Deum, ac barbaram immanitatem sine modo & sine fine.

4. Peccatum est monstrum horribilissimum, nõ in vltimas terras deportandum, sed infra terras omnes in abyssum inferorum deturbandũ.

5. Peccatum est gurges ac vorago quædam profundissima, vnde existere aut eripi nemo suis viribus potest, imo nec viribus aut conatibus totius vniuersitatis, quãtumuis impensè atque obnixè res omnes creatæ ad erigendum illum conspirent: sed solo Dei auxilio speciali, &

gratia efficace veluti manũ porrigẽre. 6. Peccatum eſt venenũ animæ, quod diabolus nobis propinat in pateris perelegantibus, atq; inſtar auri ſplendẽtibus, ratione voluptatis, quam pollicetur.

7. Peccatum eſt peſtilens quaſi potio, quæ nos miſerabili metamorphoſi in belluas transferat, quẽadmodũ Angelos bonos olim in cacodæmones conuertit.

8. Peccatum eſt ardens titio, ſeu fax alendis inferni incendijs in perpetuas æternitates.

PHILOMATHES.

Deum immortalem! quis vel cogitatione aſſequatur tantum malorum peccato ineſſe? quænam hæc eſt quorundam hominum tanta peruerſitas, aut quæ mentis infirmitas, aut cupiditas inconſiderata, vt tam facilè peccato ſuccumbant? quantulum eſt hoc boni in rebus caducis, in honoribus mundi, in voluptatibus momento temporis euaneſcentibus, vt animã flammis mãcipet ſempiternis? Sed tu perge porrò ad reliqua.

POLYMATHES.

9. Pec-

9. Peccatum eſt diaboli vexillum ſub quo omnes reprobi conſcripti centuriatique ſtipendia faciunt.

10. Peccatum iure adoptionis nos transfert in Luciferi filios.

11. Peccatum eſt vinculorum omnium inſtar, compedum, ac manicarum, quibus conſtrictæ animæ in barathrum pertrahuntur.

12. Peccatum eſt amabilis Sathanę theſaurus, certaque poſſeſſio, & hæreditas inferni.

13. Peccatum eſt antrum ſeu cubile ſpirituum immundorum, in quo quieſcunt ac triumphant gaudijs. ſiquidem hoſpitio diabolum accipit ac fouet, quicunque mortifero aliquo ſcelere mentē obſtrictam gerit.

14. Peccatum rapina eſt, propterea quòd homo, qui non ſuus eſt, ſed Dei, plurimis de cauſis, videlicet creatione, redemptione, alijſq; iuſtiſſimis beneficiorum titulis ei vindicatus atq; aſſertus, cùm à Domino ſuo deſciſcit, ſe poteſtati ac famulatui eius ſubtrahit ac furatur.

15. Peccatum eſt nefaria proditio

quam homo refractarius ac rebellis machinatur aduersus legitimũ suum Regem, claues ciuitatis, id est, animæ suæ, tradens hosti eius capitalissimo, quem deinceps dominum agnoscit.

16. Peccatum sacrilegium est, quo templum Dei viuum, Deoq; sacrum profanatur.

17. Peccatum est spirituale adulterium, quo anima fidem, quam Deo sponso suo debet, fallit ac violat.

18. Peccatum est graue pondus, quod nec cælo retineri nec terrâ potest, sed infra terram, ad abyssum Tartari cum peccatore descendit.

19. Peccatum denique malum est, tam inusitatum atq; enorme, vt omnibus alijs mũdi malis præpõderet, atque adeo solum absolutè malum (si propriè loquẽdum) dici debeat: neq; verò centenę aut millenę mortes immanissimæ, atq; omni genere tormentorũ formidolosissimæ, quæ malorũ dæmonum rabies excogitare posset, meritò conferantur cum illius animæ calamitatibus, quæ vel

vnicum

vnicum lethale peccatū mente designauit cuiusmodi esset carnis aliqua aut vindictæ voluntaria cogitatio, quæ nimirum fouetur, & placet, elicitque consensum.

PHILOMATHES.

Satis, obsecro, satis. nescio quā animi defectionem sentio, dum hæc tanto cum horrore cōmemoras. sine priùs animum colligam, quam ad explicanda peccati damna transeamus.

De damnis Peccati mortalis.

POLYMATHES.

Quandoquidē te ad vires pristinas rediisse animaduerto; si ita videtur, veniā nūc ad enumerāda peccati mala, etsi multitudine infinita, grauitate horribilia: nullius vt sit tantū flumē ingenij, nulla dicēdi aut scribēdi tāta vis, tantaq; copia, quæ hęc omnia aut verbis exprimere, aut numerādo percēsere possit. sed in hac consciētia tenuitatis meę illa me cogitatio subleuat, quod mecū testis, auditorque fueris omnium, quæ narraturi sumus. Itaque capita rerū aliquot duntaxat perstringam,

& quando mihi tua defectione spatium concessum est meditandi, meliorem deinceps ordinem, & quasi cancellis circumscriptã dictionem aduertes. dicẽdum enim de damnis peccati, primò respectu Dei; secundò, respectu animæ; tertio, de ijsdẽ quoad bona externa, vt sunt sanitas, diuitiæ, honores &c. quartò, quoad proximũ, aliasq; creaturas.

PHILOMATHES.

Placet tua distributio: memoriæ seruiet. Eat igitur quadrato agmine exercitus, patet campus in quo rectè atq; ordine se vndique expandant atq; explicent malorũ omnium copiæ, quæ originem è peccato trahunt. age, incipe.

DAMNA PECCATI MORTALIS *respectu Dei.*

POLYMATHES.

1\. Primò peccatum constituit nos desertores, imò capitales ac feros hostes veri Dei, ac Domini nostri, qui supremus Cõditor est, ac Seruator generis humani, finis vltimus ac summum bonũ, insuper ad improbi dæmonis, inimici teterrimi signa nos

nos transfert, eique nos mancipat, qui est omnis malitiæ architectus, pater mendacij, veterator ac nocēdi callidus, qui omnibus artibus ac futelis nostræ saluti periculum struit.

2. Peccatum nos impios efficit, ac sacrilegos, longè deteriores Iuda proditore, is enim semel triginta denarijs Deum suũ vendidit; nos verò sępius minoris teruncio; quotiescunq; nimirum vilissma, ac breuissima voluptate inescati, flagitium aliquod in eum concipimus.

3. Peccatum assimulat nos Pilato, dum Barabbam, hominem sicariũ, homicidam, latronem crudelissimũ anteponit CHRISTO Opt. Max. qui fons est omnis bonitatis ac beneficentiæ, & author vitæ atque omnis boni nostri. ita si libidinem, auaritiam, ambitionem aliasque huiusmodi cupiditates, pestes quasdã ac furias esse nouimus, quæ funditus humanam vitam perturbant; quantæ demum impietatis erit has Deo duci ac parenti salutis nostræ, eiusque legibus anteferre.

4. Peccatum Deo datam, Christoque salutis nostræ assertori debitam fidem violat, ruptoque obedientiæ iugo nos Petro similes facit Deum suum neganti, ac nefariè abiuranti.

5. Peccatum statuit nos barbaros quasi idolorum cultores, dum vitijs nostris, immoderatis affectibus, prauisque habitibus tantopere indulgemus, vt diuinos propemodum illis honores habeamus.

6. Quid tam sanctum atque solenne, quòd non comminuere ac violare soleat peccatum? Deum ipsum inuadit, spoliatque bonis æternis, id est, diuinis perfectionibus, nosque grassatores impios, ac prædones facit. Culpis enim commissis, etsi plurimis ac grauissimis, optamus vindicem illum oculum diuinæ iustitiæ latere, pœnasque debitas effugere posse. vnde consequens est optare nos Deum spoliatum ac denudatum omni sapientia, iustitiaque, ne pro meritis punire nos valeat, quid est, si hoc non est, de diuinis bonis prædari.

7. Peccatum, teste Apostolo, filium Dei conculcat, & sanguinem testamenti pollutum ducit, & spiritui gratiæ contumeliã facit. O verba aspera! ô rẽ omni exaggeratione maiorẽ! quid hoc cõtemptu detestabilius, quo Deũ ac diuina pro nihilo ducimus, ipsũ Christi pretiosum sanguinem, quo sancitũ est testamentũ nouum, ipsam Spiritus sancti gratiã qua in filios Dei adoptamur, respuimus ac repudiamus? O mentẽ sacrilegam, quę tãtum facinus suscipere, ô manus pedesq; sceleratos, qui id committere potestis! atqui potestis, quotiescunq; æternam damnationẽ peccãdo incurritis, è qua vi ac meritis dũtaxat mortis ac sanguinis Christi liberandi estis, si liberari vultis.

8. Peccatum facit, vt idem Apostolus docet vt homines (quoad eius quidẽ fieri potest) iterum crucifigãt sibimetipsis filiũ Dei. nam merito salutiferæ crucis ac passionis Domini non alia vi ac potestate, peccati condonationem obtineri necesse est. ex quo sequitur, qui peccato consentiunt,

sunt, eos Christum Dominum ad eandem mortem adigere, quantum quidem in se est, vt liberari possint.

PHILOMATHES.

Quòd si tantum, tàmque atrocem iniuriam Deo Opt. Max. Christo vindici nostræ libertatis, ac pretioso sanguini eius irrogat peccator, quantam, ô Deus, quamque admirabilem prædicabimus patientiam tuam, ac benignitatem in eo tam diu tolerando, tam cupidè expectando, tot insuper beneficijs cumulando atque inuitando ad pœnitentiam? O hebetes, ac stupidos, aut, vt verius dicam miseros, & perditos, si qui huius diuinæ misericordiæ suauitatem, fructumque non sentiunt! Sed tu, quæso, iam nunc explica peccati mala quoad animam.

(.·.)

MA-

MALA PECCATI MORTIFERI quoad animam.

POLYMATHES.

1. Multa ſunt, quorum agmen meritò ducat mors animæ ſiquidem, vt in ſacris litteris eſt, *Anima quæ peccauerit ipſa morietur.* peccatum ei diuinam gratiã, hoc eſt, vitam aufert. nẽpe velut anima corporis, ita gratia vita eſt animæ. væ reprobis, quos manet æterna mors ſine vera morte, quia ſpoliati vita gratiæ, in flãmis infernalibus interim ſunt æternùm victuri.

2. Peccatum triſtiſſimo nos exilio multat, dum à patrijs Paradiſi ſedibus in profundiſſima inferorum relegat, amiſſa namque Dei gratia, ſimul abijt hæreditarium ius regni cœleſtis quod exinde manat.

3. Peccatum eſt fœdiſſima animæ lepra. nã quemadmodum hic morbus corporibus adimit omnẽ ſpeciem, robur, vigorem; ita peccatũ omni pulchritudine nudat animã, omne virtutũ robur elidit, omnes opes

& co-

& copias naturæ limites transcendentes, quas plena (quod aiunt) manu Spiritus sanctus congesserat, dissipat: cuiusmodi sunt fructus ac dona S. Spiritus; virtutes quoque Cardinales, prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia; in quibus vigor omnis & decus & ornamentum animæ potissimum consistit. relinquitur igitur debilis illa & eneruata, & ad malũ quidem prompta atque alacris, sed ad bonum segnis, imprompta, atque inepta.

4. Peccatum perturbat, debilitat, ac corrumpit omnes animæ facultates: intellectui tenebras offundit, memoriam rerum salutarium obliuione euertit, voluntatem impellit ad omnem prauitatem, dedecus ac turpitudinem; appetitus omnes, turbatis naturæ legibus, aduersus rationis imperium armat.

5. Peccatum tardos, hebetes ac plumbeos ad omne honesti studiũ nos reddit, mentis aciem obtundit, turbat animi affectus, & corrupta vitiorum ac virtutum natura, pro

castitate

castitate libidines, pro veritate mendacium, pro modestia audaciā, pro pudore impudentiam, pro pace rebellionem inuehit.

6. Peccatum fidei ac spei neruos in nobis incîdit, charitatem verò penitus extinguit: quarū quidē virtutū præsidijs qui destituitur, is fit (vt sic loquar) sicut Ethnicus ac publcanus.

7. Peccatum omnia bonorum operum merita destruit ac dissipat, quantumuis vita sanctissimè acta, & omni virtutum genere cumulata fuerit: in causa quoque est cur nihil eorum quæ agis conducere possit ad ad vitam æternam: ad hæc priuat nos communione omniū bonorū, quę in in cómune fiunt Ecclesia Catholica.

3. Peccatum te refert in numerū reproborum, nomenq́ue tuum inscribit albo damnatorum.

9. Contaminat, & conculcat (ô detestabile sacrilegium) nobilissimam Sanctiss. Trinitatis imaginem, animę tuæ diuinitus insculptam.

10. Peccatum exterminat ex ani-

ma ſanctiſſimam Trinitatem Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum in cuius locũ malũ dæmonẽ, generis noſtri hoſtem teterrimum inducit, qui alienam poſſeſſionem inuadat.

11. Peccatum eſt animæ hydrops. nam quemadmodum (poëtę verbis vtar) creſcit indulgens ſibi dirus hydrops ſine vlla ſatietate, ſic anima peccato ſeu peccandi cupiditate inſaturabiliter expletur. ex vno in aliud ſine fine allicit cupiditas aut voluptas prorſus inſatiabilis.

12. Peccatum animam in Diaboli ſimilitudinem transfert, hoſtis noſtri infeſtiſſimi atque horribiliſſimi grauiſſimè id atteſtante Seruatore noſtro, dum ait, *vnus ex vobis Diabolus eſt*: Iudas nimirum proditor, qui facinus omnium atrociſſimum iam animo conceperat.

13. Peccatum infra omnes res creatas nos abijcit, adeoque infra ipsũ quodammodo nihilum peccati, nam *qui peccatum facit*, inquit Dominus, *ſeruus eſt peccati.*

14. Peccatum eſt officina nequitię, diuer-

diuerſorium flagitiorum omnium: quia venenum tam dulce & efficax propinat, vt ad omnem malitiam atque nequitiam impellat, teſte D. Bern..ſer.81.& 82.*in Cant.*Itaq; omni ſcelere animam contaminat, & pro pulcherrimo virtutum choro, teterrimam vitiorum cateruam inducit.

15. Peccatum diuinas inſpirationes auertit atq; extinguit, aureſq; animæ obſtruit, ne poſſit admittere. vnde ſe ſtatu damnationis expedire non valet.

16. Peccatũ animę pacẽ intercipit, & bellum horrificũ infert; conſciẽtiam perturbat, angoreſq; ac ſolicitudines continẽter obijcit, quibus eorũ animi noctes atq; dies exedũtur, qui ſibi malè conſcij pœnam ſemper ante oculos verſari putant.

17. Peccatum rectæ cõſciẽtiæ ſtimulos paulatim amolitur, ſupprimit, tollit; à qua tamẽ in omni vita noſtra tranſuersũ vnguem non oportet diſcedere; qua ſublata, iacent omnia.

18. Quid plura? peccatũ ſi inueteratum fuerit, præcipitat animam tan-

ta vi in miseriarum omnium pelagus, vt iam tradatur in reprobũ sensum, qui cumulus est omniũ malorũ.

Habes malorũ iliadem, quibus anima circumuallatur atq; obruitur, quæ victa peccato manus dedit.

PHILOMATHES.

Misera ac miserabilis anima cùm re, tum hoc ipso quod non sentiat quàm sit misera. quî fieri potest, Deus bone! quomodo tot malis non è somno excitatur si dormit, si vigilat, nõ stimulatur ad quærendã salutẽ? quomodo ita excæcatur? quomodo hominẽ ex homine exuit? quæ ista tanta crudelitas est, odiũq; sui ipsius? quæ tam fera immanisque natura? Sed iuuabit fortaßis audire insuper ea damna, quæ incurrit peccator ratione bonorũ externorũ seu fortuitorum quæ etsi longè longèque his inferiora non rarò tamen apud homines inconsultos atque improuidos plus ponderis habent ad mouendum.

O curuæ in terras animæ, & cælestium inanes?

(.·.)

DAM-

DAMNA PECCATI LETHALIS *ratione bonorum externorum.*

POLYMATHES.

1. Extra omnem controuerſiam prima hîc ſunt bona corporis, ſanitas, vires, pulchritudo, organa ſenſuum humanorum. Peccatum ea nō modò debilitat atque eneruat paulatim, ſed corrumpit penitus ac doſtruit: morbos etiam inſanabiles interdum & mala plurima importat, vt in gula, ac luxuria manifeſtiſſimū eſt. Diſſoluitur omnis vigor corporum vbi peccatum dominari inceperit.

2. Peccatum corpora etſi bene exercita & robuſta deijcit, vt tarda fiant ac ſegnia, deformia quoq; & inepta honeſtis exercitationibus; atque ita cōtinentiæ ac ſeuerioris vitæ lacertos in delicias mutent, atque in imbelliā vaneſcant licentioris vitæ.

3. Peccatum eſt ſcopulus naufragijs bonorum fortunæ infamis: quia Deus ea peccatoribus aufert, ne diutius abutātur, ſicut Aegyptijs olim multam ac magnificam ſupellectilē

Chananæis terras ac regnum.

4. Peccatum potentissimos quosq; magnitudine & honoribus exuit: æquissimum quippe est, vt qui diuinis honoribus tantum derogarunt, ipsi quoq; vicissim iacturam huiusmodi faciant; quod exemplis Heli ac filiorum illustrius euadit.

5. Peccatum sceptra, purpuram, coronas, imperia sursũ ac deorsum omnia vertit, atque euertit. Testantur Saul, Nabuchodonosor & sexcenti alij.

6. Peccatum aufert lætitiam cordis, quę est vita, inquit Sapiẽs: inserit autẽ angores, ac tristitiã quæ exsiccat ossa, itaque vitam insuauem ac mortis instar facit:

——nam mortis habet vices, Lentè cùm trahitur vita gementibus.

7. Peccatum est fons veluti venenatus, vnde profluxit quicquid vbique est malorũ, hęreses, schismata, bella, pestis, fames, ruina statuũ in Repub. euersio familiarum, excidia ciuitatum,

8. Indidem existunt terræ motus pro-

procellę maris, inũdationes, incendia, fulgetra, tonitrua, coruſcationes, grandines, millena alia euenta, quę fortunæ dicuntur. Nam cùm peccatum ſit iniuria atrox atq; infanda contra rerum omniũ prępotẽtẽ Deũ qui mundũ architectatus eſt verbo tantum ac nutu ſuo ex nihilo, eundemque aſſiduè ſua bonitate ac Sapientia cõtinet, moderatur, fouet; ita fit, & ad eius vltionem elementa omnia palam conſpirent.

9. Peccatum ſæpe mortem accelerat, & in viſceribus noſtris, nobis inſcijs, colligit labem, ac perniciẽ. Ex quo factum eſt, vt cõplures occulto quidẽ, ſed iuſtiſſimo Dei iudicio, malefactis ad extremũ id exigentibus, morte repentinâ ſint extincti, atque vltricibus inferorum flammis addicti.

PHILOMATHES.

Hæc monita ſpero ſalutaria mihi in omne æuum ſutura. vtinam & aliis. ô ſi diem omnẽ ſic ordinarẽt, quaſi is agmẽ cogat, vitamq; conſũmet! Incertũ enim nimis eſt, quo loco quo tẽpore mors occu-

pet, paratos an imparatos: ideoq; omni tẽpore & omni loco eam exſpectare par eſt, ni irruat derepẽte. O peccatores meritò Spiritus ſanctus in Scriptura ſacra ſic loquitur: Cor durum malè habebit in nouiſſimo & qui amat periculum peribit in illo. *Merito illud quoque:* Qui diligit iniquitatem odit animã ſuam, *id eſt, vitam ſuam, eiuſq; tranquillitatem & cõmoda cùm tot malis eã vndique cinctã videat. Sed tu Polymathes, quod reliquum eſt exequere de effectis peccati.*

EFFECTA PECCATI MORTALIS *intuitu proximi aliarumq; rerum.*

POLYMATHES.

1. Ea ſunt pauca quidem mole, ſed non pondere. Primò enim, pecccatũ prouocat proximũ, imò totam Chriſti Eccleſiam ad periculoſam exempli imitationem: quod propriè ſcandalum dicitur.

2. Peccatum priuat proximum tuum participatione ſeu communicatione bonorum tuorum, ſiue merito-

ritorum quæ accumulare posses.
3. Peccatum beatis magnam gloriam intercipit, quam accidentariam, seu aduentitiam vocant; fidelibus autem vitâ functis suffragia tua.
4. Peccatum auget damnatorum ipsorum etiam dæmonum in illo flammarum pelago crucatus, proinde diues epulo cùm æternis ignibus colluctans, obsecrabat Abrahamũ vt Lazarum mitteret ad fratres suos, ne & ipsi venirẽt in hunc locum tormentorum.
5. Peccatum sua fœditate contaminat omnia quæ sub cælo sunt: eaq; ratione in nouissimo die omnia igne purgari, & quasi expiari oportebit.
6. Peccatum totius naturæ leges vsumq; inuertit. cũ enim res omnes ad amplificandam DEI gloriam conditę sint, eoq; dirigi debeant, peccatũ ijs abutitur, atq; in instrumenta contumeliæ, & offensionis Dei conuertit.
7. Quid multis moror? peccatũ est ratione quadã causa maledictionis

ac dãnationis æternę omniũ creaturarũ, etiam inanimaturum atq; mutarũ. Nã dum elemẽta, quib. cõstãt alimẽta peccatoris, in succũ ac sanguinem eius vertũtur pariter necesse erit vt eandẽ, quam ipse maledictionis, ac dãnationis sẽtẽtiã subeãt. En quicquid mihi inmentẽ venire potuit de peccato eiusque effectis.

PHILOMATHES.

Ago ingentes tibi gratias, agamq; dum viuam. aliquando quoq; vicem aliquã reponam, vt spero, in posterũ dabo operam vt hæc tua doctrina salutaris atq; idonea fiat animo medicina. Nam præterquã quod magnam peccati detestationem ingeneret, odiumq; eius intimum firmet; maximũ præterea momẽtum afferet ad contritionẽ seu dolorẽ acerbißimũ excitãdũ ob peccata vitæ anteacta. Hæc certè cõsideratio grauißimorum malorum, quæ peccatum consequuntur, calcar ad id optimũ videtur. Porro, ni fallor, postquam Concionator peccati naturã, quæq; inde oriũtur mala funestißima dicẽdo explanasset; deduxit inde clausulas quasdã, ac documẽta

pra-

practica, quædam quoque remedia. Hæc à te denique eadem auiditate, eodemque grati animi & pietatis sensu expecto. Beneficium bene collocatũ existima, cum fœnore rediturum.

POLYMATHES.

Quid ais de fœnore? labor noster mercenarius non est, nec fraudabitur interim mercede sua, vt confido, apud Dominum.

Itaque prima cōclusione, quantũ recordor, documētum proponebat huiusmodi: quandoquidem peccatum summum omnium malorũ est, atque adeò malum infinitum, anteponenda ac præoptanda multis partibus omnia mala mundi, dedecora atq; ignominias, calumnias, iniurias, probra, infortunia, ægritudines, cruciatus acerbissimos, equuleos, mortes conquisitissimis tormētis illatas, quicquid deniq; fingi aut credi potest acerbũ in hac vita. Vestigijs nēpe insistendũ gloriosi illius Martyris Machabęi, cui cũ extrema omnia denũciarētur, nisi legē Dei transgredi decerneret, respdōit Pręmitti se

 velle

vellein infernum, hoc eſt, malle ſe trucidari, ac membratim in mille fruſtra concidi, quàm flagitium admittere. Idem generoſiſſimus animus omnium martyrum fuit, eadé vox digna martyribus, Præmitti ſe velle in infernum, ſi videlicet peccati vitandi cauſa neceſſitas vrgeret.

PHILOMATHES.

O inuictißimam animorum vim! ô fortes, vt ſic loquar, & tenaces propoſiti viros! ſic in ſententia permanendū, & viriliter hoſti noſtro reſiſtendum. cùm nos varijs infeſtationibus oppugnat. Sed pæne exciderat hiſtoria quædam, ſiue Apophthegma eiuſdem argumenti, quod exemplis iam commemoratis ſubiungebat. nec adhuc diſtinctè recordor, ſed veluti per vmbram: iuua.

POLYMATHES.

Fuit illud D. Anſelmi, Archiepiſcopi Cantuarienſis, vt arbitror; cuius hoc dictum in cæteris eius laudibus familiam ducit, *Si hinc peccati horrorē ſine pæna, inde inferni dolorem ſine culpa, mihi propoſitū cernerē, neceſſitas aūt imponeretur alterutrū deligēdi; Mal-*

di: *Mallē*, inquit, *purus à peccato & innocens gehennam intrare quàm peccati sorde pollutus cælorū regna tenere*. Lib. de beatitud. c. 190. Quin & memini aliàs me audire consimilia de S. Edmundo Archiepiscopo itē Cantuariensi, cuius ea vox erat, *Mallem insilire in rogū ardētissimū, quā peccatū vllū sciens admittere in Deum meum*.

Itidē de S. Ludouico rege Gallorū, qui ab ineunte ætate hoc persuasum habebat, *Potius mori quàm peccare*.

PHILOMATHES.

Habemus in istis præclarum & illustre quod imitetur exemplar. Opto ex animo omnibus peccatoribus talem horrorem ac detestationē Culpæ mortalis. Sed & nos premamus vestigia insequēdo, & ex interuallo saltem ingenti reptabundi sequamur, si non assequamur. Ecquodnam fuit secundum documentū quod ex dictis conficiebat Concionator?

POLYMATHES.

Cùm peccatum sit tot rationibus supra quàm dici aut credi potest deplorandum, ac reformidandū, extremæ dementiæ est vel momento

temporis in ſtatu tã periculoſo permanere, hoc eſt, in faucibus Lupi infernalis, in ipſis inferorum ſuburbijs, in portis mortis, in medijs malorum agminibus, inter mille diſcrimina damnationis æternæ.

PHILOMATHES.

Capio quod dicis. ſed quis modus animæ peccati labe infectæ, atq; his periculis circũuallatæ, eruendi ſe hoc ſtatu, & ſalutẽ ſuã aſſerẽdi? hic finis eſto, ac veluti portus quò hactenus velificati ſumus.

POLYMATHES.

Excitanda eſt contritio, ſiue dolor de peccatis ex intimis ſenſibus, ob offenſum Deũ patrẽ, ac Dominũ noſtrum, qui commoda quibus vtimur, lucemque qua fruimur, ſpiritũq; quẽ ducimus nobis impertijt; qui nos innumeris inſuper beneficiis cumulauit, & vt viueremus mori dignatus eſt. deinde quam citiſſimè confeſſio inſtituenda, ſine vlla procraſtinatione, quæ in negotio tanti momenti periculoſiſſima eſt. nã quã facile ſubita morte abrepti, ſerò ac fruſtra eius copiam nobis ſublatam in perpetuum deploraremus? Quot

animarũ millia ardere iam putamus in flammis illis vltricibus, quòd cõfessionem scelerũ suorum in alium diem reiecerint, quẽ videre, subitò extincti non potuerunt. quid ita? apud occultum Dei tribunal constat huius rei ratio, nobis autẽ de ea nihil constat. Sed de hac re si plura desideres, consulendus est libellus noster, cui titulus, *Clauis paradisi*, siue, *Tractatus de Contritione.*

PHILOMATHES.

Legã, & , vt audio, magno meo compendio, emolumẽtoq́ legã. Interim vbi sũt remedia peccatorũ quæ pollicitus es? mene oblitũ putas? suppedita optima quæque aliàs inueteratis malis, quibus sedes imo regnum in anima est, leuis medicina non medicina est.

POLYMATHES.

Ita est profectò, ægritudo potissimum quæ radices egit, & fixit pedẽ, non leui spongia abstergitur. Principiò igitur asserebat Concionator viuã atque efficacẽ cõsiderationem rationũ iam dictarũ, & grauissimorũ damnorum quæ peccatum importat pluri-

plurimũ ad eius deteſtationem cõferre poſſe. deinde vitandas occaſiones & pericula peccandi, vt ſunt, prauę ſocietates, loca ſuſpecta, perſonæ lapſibus noſtris accommodæ. quin etiã ſeriò recolendã Chriſti aſſertoris noſtri paſſionem, mortiſq; acerbiſſimæ cruciatus, aliæque beneficia incomparabilia, quæ largiſſima manu in nos contulit, vt amore ſui nos inflammaret. poſtremò meditationẽ prædicabat mortis iam iamque imminentis, ac ſeueriſſimi Iudicis ſententiã vltimã, ac formidoloſiſſimam mox fulminaturi, quẽ nullum latet ſecretum, qui peccata noſtra infinitè odit, qui vult ac poteſt ea æternis cruciatibus vindicare. Hæc ſunt medicamenta animorum quæ maiorem in modum commendabat, quod non moueant modò, ſed extrahant penitus humorem peccati. Alia quædã, ſed minus valida, fortaſſis vulgò tradi ſolent: vt primum quidem initijs vitiorum ſubrepentium occurendum. Nam in confinibus hoſtis arcendus eſt: cùm

intrauit

intrauit, & portis se intulit, modũ à captiuis non accipit. Ita si peccato ius aliquod voluntate nostra datum est, faciet de cætero quantum volet, non quantum permiseris. Præterea, consuetudo contraria viriliter opponenda: quia æquum est, vt bona consuetudo excutiat quod mala instruxit. Demum si sedulò totum diem quotidie ac præcipuè vesperi excusseris, vitia radicitùs exstirpabis. sic enim animus se ipse admonet, ac speculator sui factus, cognoscit optimè de moribus suis, & apud se causam securè dicit.

Hoc satis. Estne aliud quod à me postules?

PHILOMATHES.

Næ ego deinceps in omnem gratiæ referendæ occasionem excubabo pro tali humilitate ac benignitate, qua me cõplexus es: non solùm enim memoriã mihi auditorum excitasti, sed pios etiam motus attulisti, pæne eosdem (fas mihi hoc dictu) quos nuper ipsemet buccinator è suggestu. neque verò huius temporis

poris tantum hic fructus erit, spero, sed maturescet & feret ætatē. quotiescūq; scilicet hostis hominū vafer ac callidus me suis tentationū illecebris ad delinquendū instigabit, obÿciā ei Speculum hoc peccatoris cū omnibus malis quæ in eo cernuntur. Porrò etiam magno bono publico latius manabit in vulgus, nemo enim tā extremè ac desperatè improbus futurus est, qui non inspecto hoc Speculo se colliget atque resipiscet.

Sed hoc eodem fine atq; consilio plurimum profuerit, alterum etiam Speculum Iustorū proponere, in quo Dei gratiam quā nobis tollit peccatū, omniaque gratiæ effecta contemplemur: hoc siquidem initio promisisti. Age, de his etiam tibi disserendum quoad recordaberis: ac tum fidem tuam cumulatissimè liberaueris, ac vetus promissum expunxeris.

SPECV-

SPECVLVM IVSTORVM.

POLYMATHES.

ARdorem mihi inijcit tã seriæ petitionis põdus. sed ad asperum & arduum me collẽ vocas, in quem interim eniti eſt animus. vires ſi pro animo nõ fuerint, ignoſci poſtulo. Quid eſt igitur Gratia?

1. Gratia eſt habitus diuinus, ſiue donũ animæ infusũ, lumenq; ſupernaturale, profectum à Deo patre luminũ, ſine quo mereri, aut ad portũ ſalutis pertingere nemo poteſt.

2. Gratia eſt participatio quædam naturæ diuinæ, id eſt, ſupra modum eximiæ ſanctitatis Dei, bonitatis, puritatis, nobilitatis infinitæ: cũ videlicet homo ſegregatus iã ab hac colluuione & contagione, quam ex Adæ mortalitate traximus, cõſors fit excellentiæ diuinæ, & ſeipſum exuens, induit Chriſtum Ieſum.

3. Gratia eſt pignus vitæ beatæ & immortalis; quinimò initium ac radix cœleſtis gloriæ.

4. Gra-

4. Gratia nos vſque eò nobilitat, vt quadam ratione Deum ex homine faciat. agnoſcite, ô Iuſti, veſtram dignitatem.
5. Gratia eſt belliſſimum ornamentum atque inæſtimabile *keimelion*, quo anima Dei ſponſa cohoneſtatur.
6. Gratia theſaurus electorũ eſt, & fons omniũ cœleſtiũ bonorum.
7. Gratia eſt magnæ reginæ veſtitus deauratus, arte manuque S. Spiritus quaſi elaboratus, quo tam formoſa, tãq; gratioſa ante oculos Dei ſtatuitur, vt eam in filiam adoptet.
8. Gratia tantum bonum eſt, tantus honor, dignitas, pulchritudo, voluptas, vt omnia id genus bona mundi infinitè ſuperet. quin omnium prorſus bonorum ſeminarium cenſeri debet.
9. Gratia eſt manna abſconditum, & fructus vitæ æternæ.
10. Gratia eſt pabulum animę ſuauiſſimum, ſupra mel & fauum.
11. Gratia eſt panchreſtrum antidotum contra omne virus animæ.

12. Gra-

12. Gratia eſt arx munitiſſima, & propugnaculum inexpugnabile.
13. Gratia eſt Chriſti ducis ac liberatoris noſtri vexillum triumphale, ſub quo omnes electi militant militiam bonam.
14. Gratia eſt flagellum improborum dæmonum terribiliſſimum.
15. Gratia eſt clypeus, lorica, gladius, lancea validiſſima, cùm ad facienda tùm ad vitanda vulnera noſtrorum hoſtium, mundi, carnis, & ſpirituum malorum.
16. Eſt armatura probatiſſima, quæ nos à capite ad calcē protegat, nullus vt vulneri in corpore pateat locus.
17. Gratia tam admirandæ virtutis eſt, vt Diaboli mancipia, ac bruta animantia, id eſt, homines qui in mores feros ac belluinos degenerauerant, ad Statum Angelorum, ac proximè ad diuinam naturam traducat.
18. Vt paucis concludam, gratia ſedes ac domicilium eſt præpotentis Dei, lectulus quoque aureus

extra

extra modũ cultu magnifico, in quo requiescat sanctissima Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Hîc insisto, hîc hæreo, nihil quod supra ista sit in descriptione gratiæ reperire possum.

PHILOMATHES.

Dedisti me in stuporem, atque animũ sanè addidisti, vt pro gratiæ diuinæ cõseruatione, nullos labores, nulla pericula, nullas dimicationes, nec mortem denique ipsã, si opus sit, reformidem. Sed ne molestè feras audaciã meã in postulando; oportet te etiã nũc vela pandere, & nauim altiùs immittere in rerum diuinarum fretum. Explica mihi huius gratiæ operationes, ac bonorum copias quæ secum in animam inducit.

POLYMATHES.

Si rem pendas æqua iudicij lance, nescias an plus mali è peccato, quã è gratia boni in animã deriuetur: nolim tamen altè penetrare in hoc mare, sed littus potiùs legere.

1. Primò itaq; gratia te arctissimè Deo deuincit atq; abstringit propemodũ vt res vna ex vtroq; cõfletur.

2. Gra-

2. Gratia tuam animam constituit Christi Domini ac Conseruatoris sponsam pudicissimam, & sororem; Patris æterni filiam amantissimam; templum denique augustissimum Spiritus sancti.

3. Gratia te regni æterni participem facit, & (quod consequens est) socium contubernalem, ac fratrem dulcissimũ omnium Sanctorum; ipsius deniq; Reginæ rerũ omniũ, excepto rege, dignitate principis filiũ.

4. Gratia te dignum reddit, qui possis assidere in conuiuio magni Dei, & de cibo eius regio delibare.

5. Gratia expedit animam culpis, quas contraxit, eamque reconciliat Deo.

6, Gratia incitat voluntatem ad omnia rectè facta, dicta, cogitata, in ijsque eam firmat.

7. Gratia tantum tibi confert roboris, vt (teste D. Thoma Aquinate) minimus eius gradus sufficiat debellandis omnibus dæmonibus, atque peccatis.

8. Gratia pænas æternas valet in tem-

temporarias commutare.

9. Gratia Deum demeretur, operibusq́; noſtris vitam æternam promerendi vim tribuit; ac demum merita omnia peccatis deperdita reſtituit.

10. Gratia animum format atque componit, vitam moreſque nobilitat, actiones regit; agenda & omittenda demonſtrat, denique gubernaculum eſt, & per ancipitia fluctuantium dirigit curſum.

11. Gratia concupiſcentiæ ardorem immodicum mitigat, ac moderatur.

12. Gratia effrænes animi motus, affectuſque cohibet.

13. Gratia te omnibus caſibus ac ludibrijs humanis, tentationibusq́; ſuperiorem facit.

14. Gratia omnes animi labes expellit, omnes vitiorum igniculos reprimit, omnia ſemina elidit.

15. Gratia excolit animum, vt ad omnem virtutem effloreſcat.

15. Gratia mirificè mentẽ illuſtrat, fitq́ue ſcientiarum omnium humanarum

narum diuinarumque seminarium: excitat quoque memoriam ad cæleſtia contemplanda, & diuina beneficia recolenda.

17. Gratia accēdit affectum ad opera ſublimia atque heroica, qualia ſunt charitatis erga Deum ac proximum ardentiſsimæ, penitentię item, atq; afflictionum corporis, quo premente, vrgetur animus atque in vinculis eſt, vix vt poſsit aſſurgere ad diuina.

18. Gratia erigit animum vt cuncta deſpiciat, neq; extollatur fortuitis, neq; frangatur, veraque voluptas ſit voluptatum mundi contemptio.

19. Gratia dulce, & amabile reddit iugum Domini, vt volupe ſit decurrere viam virtutis.

20. Gratia virtutes omnes, ac dona Spiritus ſancti menti inſerit, & inſerta cuſtodit; humilitatē nimirū, prudentiam, fortitudinē, temperantiam, alioſquè habitus bonos; nominatim vero (quod primò dictū oportuit) caſtitatis pretioſiſsimum quà

corporis, quà mentis thesaurum illibatum tuetur.

21. Vt rem in pauca conferam, gratia (quod caput) Deũ opti. max. accipit hospitio in anima, quã solatur, quam defendit, quam gubernat, quã dirigit ad cælestem patriam; in qua item dilectus pascitur, in qua triumphat, in qua conquiescit.

Hæ sunt opes, & copiæ tuæ, ô felix anima, quibus te apprimè nobilitatam gratia euehit in sponsam Dei, reginam cæli, dominam vniuersi.

PHILOMATHES.

O documenta illustrißima dicam, an saluberrima omnibus hominibus, aut qui sunt, aut futuris? vtinam omnes mundi plagas peruadere illorum cognitio vsusque poßit, nihil certè optabilius his tẽporib. nihil posteritati fructuosius videri debet. Itaque his tam diffusè commemoratis, quid reliquũ est, Polymathes, iußi vt huic nostræ sermocinationi extremam manum imponas? Si te ad extremum rogauero, vt subsidia etiã quædam suppeditare non graueris, quibus Dei gratia custodiri ac defendi poßit;

me-

meritò me reÿcias ad ea quæ supra de remedijs peccati dicta sunt, non assimilia huic proposito. proinde supersedebimus hoc genere orationis. potes ergo iam nauim ad portum flectere, quò velificatio nostra ab initio directa fuit. Sed num signa aliquot commeministi, seu coniecturas, quibus cognoscamus Dei gratiam nobis inesse? attigit hanc etiam partem Concionator.

POLYMATHES.

Memini, etsi obscurè. sanè operæpretium sit etiam in hoc genere quicqud occurrerit exponere, nihil vt in hac materia desideretur, scio palmam in meta non in carceribus figendam. Tu ergo subleua, si quando lapsum memoriæ notabis.

SIGNA DIVINÆ GRATIAE IN HOMINE.

1. Primum eſt replicata memoria præteritorum annorum culpas cum magno animi ſenſu deplorare, & concepto firmiſſimo emendationis propoſito eas vehementiſsimè deteſtari.

2. Magnum quoque dat ſui ſpecimen gratia in animo, ſiquis magna cõſtãtia legi diuinæ ſic parere decreuit, vt nec vllius tormẽti vi, aut metu nec mortis vitandæ cauſa, velit vllum Dei prȩceptum infringere; ſemperq́ue in hoc propoſito, ſuſceptoq́ue conſilio ſtatuit permanere.

3. Emicat etiam foras, & ſui ſignum dat gratia in homine, ſiquis multorum annorum ſpatio cohibuerit ac continuerit ſeſe à peccato mortifero. nam rectè D. Gregorius, *Peccatum vnũ*, inquit, *quod per pænitentiam non deletur, ſuo pondere citò trahit in aliud.*

Ac quemadmodum cadauer aliquod

liquod quamprimum fætorem solet emittere, quo expers esse animę prodatur: sic anima peccato mortua citò alterius peccati fætorẽ, mortis argumentũ edit: Vnde colligitur contrariorum legibus, si longo temporis interuallo nullus in anima peccati putor deprehenditur, ei vitam gratiæ etiamnum inesse.

4. Siquis libris pijs legendis, sacrisq́; concionibus audiẽdis, atq; in vniuersũ bonis operibus cumulandis magnopere delectetur, solideq́ue reficiatur.

5. Siquis ad rerum humanarum, omniumq́ue mundi illecebrarum contemptionem frequentes sentiat impulsus.

6. Siquis ad cælestem patriam idẽtidem suspiret, & in hoc exilio vel potiùs valle lachrymarum se quasi vinculis præpeditũ diutius retineri molestè ferat; cum rege Dauide, dũ ait, *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est*; & cum D. Paulo dum cupit dissolui & esse cum Christo; exclamans interim. *O infelix homo,*

quis me liberabit de corpore mortis huius?

7. Si quis diuina Sacramenta Cõfessionis, atque Eucharistiæ piè frequentat, tanquam fontes vberrimos cælestium bonorum.

8. Si quis omnem iniuriam ac cõtumeliam didicit silentio ferre, vel potius beneficiis superare; paritérque in omni fortuna semper eodem vultu, atque æquabili animo ibi constare.

9. Si quis omnem mundi luxum abhorret, & ad sempiternã anhelãs gloriam! omnẽ mundi excellentiã, omnes honores, omnes principatus nullo loco habet, immo citius dixerim conculcat ac pro nihilo ducit, vt se arctius Deo suo coniungat.

10. Exmium quoq; gratię præsẽtis signum est, perpetuum quoddam orationis studium, ac perseuerantia in exercitio pietatis.

11. Frequentibus Dei inspirationibus ad meliora inuitari, suamq; voluntatem ad Dei nutum fingere & accommodare. 12. Vlti-

12. Vltimum diuinæ gratiæ indicium est (vt sim breuis) incendium quoddam amoris ergaDeum in animo sentire, idemque propter Deum in proximum deriuare.

Habes signa Philomathes, quibus quadamtenus vtcunque doceri de statu gratiæ ac firmari possumus, qui cæteroquin pendente vestigio imus & quærimus per coniecturas. num plura tibi occurrunt? Festinanter siquidem dixi: vt ij qui opido, aut metæ accedunt, quam destinant, magis properant: sic ego in enumeratione mea.

PHILOMATHES.

Id ipsum mihi pro eo sanè ac debuit gratißimum fuit. signa verò quibus distinctam gratiæ ac virtutum gemmis animam cognosci posse demonstrasti, satis ex animi sententia recensuisti; & sufficere aliqua ratione possunt, vt inter spē metumq́; nimium pendentes ac incerti fluctuare desinamus. O felices, ac beatos, qui hæc in se, etsi non

 omnia,

omnia, certè aliqua ex parte deprehendunt! nam cùm omnino aliquibus indiciis opus sit, quibus velut anchoris nauis animæ firmetur in hoc mundi pelago, quanta erit ista consolatio, posse vel omnia in se inquirendo reperire, vel certe præcipua, vt certa cū fiducia ad æternæ salutis portum appellere queant? nunc illud superest, quod mihi etiam auditu sanè quam iucundum fuerit, num quidnam omissum putes in hac nostra enarratione?

POLYMATHES.

Nihil admodū. sed quæ dicta sunt hactenus qui mente secum reputet, quis non ingenti voluptate perfundatur, si quis aliquod in se salutis suæ argumenta rimari, atque agnoscere valeat? meritò huiusmodi felices prædicabas, cum habeant in sese omnes numeros felicitatis. Porrò quo facilius huc pertingamus, nihil cōducibilius arbitror duobus istis speculis, quę proposui peccatoribus pariter ac iustis, hæc crebro inspiciamus, & in altero quidem

pec-

peccati malitiā, in altero gratiæ bonum inæſtimabile contemplemur. ſic finem principio lubet iungere: & quando vtriuſque rei notitia iam aliqua, Dei beneficio, parta eſt, pergamus porrò atque enitamur in poſterum vtilitatē ex ea magnam capere. Quāti (ô magne Deus!) gratiam illam æſtimari par eſt, cuius infimus gradus omne aurum, omnes gemmas, omnia quibus mūdus pretium tribuit infinitè tranſcendit? quid ſplēdidius gratia, quid dignius, quid fructuoſius? ſemen veluti nobiliſſimum eſt, quod in anima hominis iuſti tamquam in bono ſolo ſparſum facile cōprehendit, & ſe explicat, fructuſq; meritorum lætiſſimos producit. Omnis itaque adhibenda eſt cura, omnibus neruis contendendū, vt rectè in mente cuſtodiatur, nihilque tam potens ſit in huius mundi periculis, ac procellis, quod eam nobis eripiat, ſed vt fluuij quidam per media maria tranſire dicuntur, & ſeruare ſuam vndam, ſuamque dulcedinem: ſic nos per tumultus

circumfusos ad patriam tendamus, vt alsedinem nullam trahamus ex hoc pelago malorum, dulcedinemque diuinæ gratiæ semper retineamus.

Ex altera verò parte Speculum peccatorum docet nos supra omne malum vehementissimè dictis, factis, cogitatis fugere peccatū; quo pretiosissimum gratiæ thesaurū dissipamus, quo omnia iam dicta peccatorum dampna incurrimus, quo nos in perpetuæ damnationis barathrum scientes, prudentesque præcipitamus. At quid est quòd homo tantam sibi perniciem accersere nō veretur? quid nisi fallax voluptas, aut vmbra potiùs voluptatis, fumus honorum, vilissimi lucelli cupiditas, aliquantulum terræ albæ, aut flauę? O profundam cæcitatē! ô iniustos rerum æstimatores, quorū mentes tantus stupor oppressit, vt res fallacissimas, aut rerum potiùs imagines, atque vmbras æternis animarum, corporumque cruciatibus commutare velint! quis, tam

tam efferatus, quis tam agreſtibus inſtitutis viuit, aut contra naturæ ſtudia tam vehementer obduruit, qui id non dicam fidei, quam profitetur, ſed rationi ac naturæ ſuæ inimiciſſimum non iudicet? Quod autem Deus ſubinde pœnas illas extremas differat, vt peccatoribus ſpatium ſit emendandi quæ deliquerint; hoc profectò infinitæ ipſius miſericordiæ, ac benignitati adſcribendum. Interim certiſſimo cõſtat admiſſo peccato quamprimnm deberi pœnas ſempiternas; dirum quoque, atque infauſtum ſubitæ mortis genus iuſtiſſimè cęlitus irrogari poſſe, atque adeò ſæpenumerò hactenus irrogatum fuiſſe, imò etiamnum ſæpe irrogari: quod meritò in ſe quiſque reformidet, qui repetitis idemtidem: culpis Deum ad vindictã prouocare non deſiſtit. Auerte hoc sũme Deus, auerte ab homine, pro quo mori dignatus es. hoc eſto vltimum votum hoc ſuſpirium noſtrum.

Ad maiorem DEI gloriam, ac Deiparæ Virginis Mariæ.

CLA-

CLAVIS PARADISI.

CONTRITIO QVAM NEcessaria, quantumq́; differat ab attritione: de actibus itidem contritionis sigillatim.

ACCESSIT CVMVLVS RAtionum, quibus probatur contritionis exercendæ frequentia: simulque Examen conscientiæ.

Euulgauit hunc libellum primùm Hispanicè Sacerdos quidam è Soc. Iesu; deinde à Reginæ Confessario huc transmissum Latinè vertit alius Pater eiusdem Societatis.

Magno, vt liquet, bono publico.



COLONIÆ,
Apud Ioannem Kinckium,
ANNO M. DC. XV.

DIALOGISMVS
De CONTRITIONE & ATTRITIONE.
Doctor & Discipulus.

DISCIPVLVS.

Liceat mihi per tuam humanitatem hodie, id quod nostra omniumq; plurimum interest, ex te quærere. Sæpenumero audire memini, quantum momenti, ac ponderis in Contritione sit ad salutem. edissere mihi, obsecrò, quàm sit illa necessaria.

DOCTOR.

Contritio, si verè æstimamus, res est vna tam eximia, tamque homini salutaris, vt quantumuis grauissimis sceleribus sit obstrictus, veniam impetrare, atque in pristinam Dei gratiam huius ope restitui possit: imò etsi contigerit repentè mori, sine copia Confessarij, aut vllius Sacramenti, de salute nihilominus

neuti-

neutiquam dubitandum. Contrà verò si quis culpę mortiferæ sibi cõscius è vita discedat, quamuis Attritionem senserit (expers interim Sacramenti) certissimum est æternis ignibus mancipandum.

DISCIPVLVS.

Quid discriminis est inter Contritionem & Attritionem? tametsi enim distinguere ipse non possim, tamen video immane quantum inter se distent.

DOCTOR.

Distingui commodè altera ab altera non potest, nisi prius vtriusque vis ac natura penitus cognoscatur.

DISCIPVLVS.

Rectè. Quid igitur est Contritio?

DOCTOR.

Contritio est perfectus animi dolor ob offensum Deum, quem, vt summum bonum, summè, seu super omnia diligere tenemur. qua quidem definitione fundamentũ Contritionis statuitur. Amor Dei super omnia. iuncta cõsideratione supre-

mæ bonitatis ac benignitatis diuinarum perfectionum: inde siquidem, velut è fonte, manat ille dolor, quẽ dicimus, ob offensam tantam, tamque inexhaustam Dei bonitatem. Vlterius porrò principium eius satis patet esse fidem diuinam, sine qua impossibile est placere Deo.

DISCIPVLVS.

Satis assequi videor quæ dicis de Contritione. Iam quid est Attritio?

DOCTOR.

Est dolor animi de peccato, non præcipuè ille quidem fundatus amore Dei super omnia; sed ortus ex timore æternæ damnationis, vel consideratione fœditatis peccati, vel huiusmodi alijs causis. Intelligis iã præcisè in quo discrepet Contritio ab Attritione? illa potissimũ nititur amore Dei, hæc timore pœnarum, aut simili aliqua consideratione.

DISCIPVLVS.

Intelligo. sed illud etiam expone, an dolor ille ex metu pœnarum aut aliunde conceptus, vt dixisti, bonus censendus

fendus sit, an inutilis ac malus?

DOCTOR.

Nequaquam inutilis, aut in vitio ponendus, sed bonus est ac donum Dei, quo anima præparatur, atque exsurgere incipit ad statum gratiæ: inuoluit quippe odium peccati, ac propositum emendationis. Cæterũ non est perfectus dolor, sicut Contritionis; quia non informatur amore Dei perfecto. hinc Attritio vocatur seu Contritio imperfecta.

DISCIPVLVS.

Si quis confiteretur ritu Catholico, sed sola instructus Attritione, vtrum is peccatorum veniam, ac Dei gratiam obtinere posset?

DOCTOR.

Omnino, quia virtus Sacramenti, Vt Theologi loquuntur, facit ex attrito contritum. quæ ratio quoq; inter optimas vna est, cur expediat crebrò confiteri, vt attritionis defectum suppleat vis Sacramenti.

DISCIPVLVS.

Nimirum hinc colligo, me posse, vt Dei gratiam consequar, contentum esse

actibus

actibus attritionis, crebrior modò Confeßio accedat: quandoquidem Contritio perquàm difficilis est, & conatus validos requirit.

DOCTOR.

Rectè ac salutariter feceris, si frequenter sacra confessione animam expiaris: sed illi non minus prouidè & consultò, qui frequentes etiam actus Contritionis elicere adsuescunt. nam etsi contritio sola diuinæ gratiæ impetrandæ sufficiat, absque Confessione, (voluntas modò adsit eius obeundæ quo tempore præceptum vrgebit) tamen cùm illa sit admodum difficilis, vt nosti, semperque in huius vitæ caligine, ac tenebris, animo suspenso ac dubio fluctuandum sit, veramne contritionem habeamus, nec ne; oportet nostræ contritioni iũgere Sacramẽtum Confessionis, ne in negotio æternæ salutis ea quæ sunt parum tuti sectemur. at quanto etiam magis necessarium est salutare hoc Sacramentũ vsurpare, quotiescũq; apparet dolorẽ nostrũ non esse nisi attritionem

titionem, ſed contritionem imperfectam? itaque grauiter hallucinaris, dũ te dicis Attritione cõtentũ, aliud nil magnopere requirere.

DISCIPVLVS.

Ego verò à te expecto rationem tuæ aſſertionis, vt me probes hellucinatum.

DOCTOR.

Ratio in promptu eſt, non enim ſtatim, commiſſo peccato, ad manum tibi ſemper eſt ſacerdos, cui illud aperias, vt abſoluaris: quin imò accidere haud rarò poteſt, vt deſit ſpatiũ confitendi ſubita morte præuento (quis namq; illud tibi certò ſpopondit?) aut mille alijs vijs, Sacramenti pœnitentię expers, occulto Dei iudicio è vita abripiaris. Sed fac te ritè confeſſũ de culpis totius vitæ mori, anne ingens malũ videtur tanto tempore pati Deum inimicum ſibi atq; infenſum, cùm attritio tua te illi reconciliare non poſſit? anne damnum grauiſſimum,

omnia

omnia bonorum operum merita deperdere, quibus à primis initijs scelerum admissorum cumulari potuisses? quid est, si hoc non est, omnium lachrymis deplorandum?

DISCIPVLVS.

Capio intimis sensibus rationes tuas. sed num quas alias eiusdem generis habes?

DOCTOR.

Habeo. Sed hæc vna instar omnium ac peremptiora, vt dici solet, æstimanda est, quod vt verum sit attritionem vnà cum Sacramento sufficere peccatori ad statũ gratiæ extollendo: non tamen est certitudo fidei, qualis est, veram contritionẽ id validè præstare. atqui in negotio tanti momenti, à quo pendet salus animæ, tutiora semper eligenda quis non videt? Quæ cùm ita sint, nescio profectò quid intelligãt qui hoc non intelligunt, quanti momenti sit contritio ad salutem.

DISCIPVLVS.

Tam amplè de bono contritionis disseruisti, vt de eius necessitate iam non ambi-

ambigam. illud verò vt cognoſcam vehementer etiam atque etiam exopto, quo pacto ad eius perfectionem peruenire poſsim, quique ſint actus eius particulares?

DOCTOR.

Tres omnino actus in ratione ſui complectitur, dolorem, propoſitum, petitionem.

DISCIPVLVS.

Agedum de primo doce quid ſentias, atque ita doce, vt idem ipſe ſentiam.

DOCTOR.

Concipiendus eſt dolor animi appreciatiuè, vt dicunt, ſummus, ob offenſum Deum, quia Deus eſt, id eſt omni amore, obedientia, & honore longè, longeque digniſſimus.

DISCIPVLVS.

Quibuſnam conſiderationibus dolor iſtiuſmodi excitandus ac corroborandus eſt.

DOCTOR.

Diu, multumque cogitandum, quàm inæſtimabile bonum lethali culpa nobis pereat, nimirum diuina gratia, quæ omnia bona creata digni-

dignitate transcendit: eoque iactura illius maximè ponderanda ac deploranda est, propterea quod cæterorum omnium bonorum iacturam magnitudine superat, quantumuis omnia simul iungas, opum affluentiam, honores, bonam valetudinem, vitam ipsam. Secundò perpendi possunt cætera quoque peccati mortiferi damna, cuiusmodi sunt, nos ea re constitui capitales Dei inimicos, mancipia Sathanæ, fœdos atq; instar malorum dæmonum execrabiles, reos æternæ damnationis; quæ si singula per se tanta, tamque horrenda sunt, vt omnia huius vitæ mala, damna, tormenta in vnũ aceruatim collecta, infinitè excedant; quid simul omnia conglobata nostris animis permouendis poterunt? Quocirca non vanè dixi dolorẽ de peccato, tanquã summo malo, summum quoque esse oportere, deinde si vel vnicum peccatum tot malis stipatum sit, quid erit innumeris animam obstrictam gerere?

DISCIPVLVS.

Dei primo actu satis. explica secundum.

DOCTOR.

Is est. firmum emendationis propositum, manans itidem ex amore Dei super omnia: nihil vt sit in rebus humanis tam expetendum, nihil tam reformidandum, vt, ad peccatum iterandum inducere veleat: quandoquidem (vt suprà commemoratum est) nihil est æquandum bono quod peccando perditur, nihil quoque malis ac detrimentis æquiparandum, quæ incurruntur.

DISCIPVLVS.

Atqui illud propositum generale est, opinor, quod explicasti; num qua specialia sunt in hoc inclusa atq; inuoluta?

DOCTOR

Planè multa sunt, quæ quasi partes sub hoc genere continentur: exempli gratia, propositum restituendi cuique quod suum est, & Dei mandata, Ecclesiæque pariter omnia obseruandi; voluntas item munus

nus suum probè exequendi, nihil vt desideretur quod officij ratio exigat; voluntas peccata ipsa, etsi contritione deleta (quod incertū semper manet) clauibus Ecclesiæ subijciēdi in Confessione, ad minus vbi tempus præcepti aduenerit; voluntas pœnitentiā iniunctam implēdi, & quo plenior satisfactio adhibeatur, se suaque omnia Deo offerendi, eiusque gloriæ deuouendi; voluntas deniq; occasiones peccati proximas euitandi.

DISCIPVLVS.

Iam quis tertius actus contritionis.

DOCTOR

Petitio certa cum fiducia obtinēdi à Deo veniam peccatorum, gratiam emendationis, perseuerantiam in bonis operibus vsq; ad mortem.

DISCIPVLVS.

Ecquod fundamentum est talis petitionis ac fiduciæ?

DOCTOR.

Nitimur tum bonitate ac misericordia Dei infinita, tum Christi Domini ac Seruatoris nostri meritis, quæ

quæ nobis pretiosissimi sanguinis effusione, atque acerbissima morte peperit.

DISCIPVLVS.

Gaudeo, & gratulor nobis de tanta contritionis excellentia. atqui trade mihi etiam praxim quandam ac methodum eorum quæ dixisti, qua quotidie vti ac frui poßim Virtutis siquidem laus omnis in actione consistit.

DOCTOR.

Praxis optima contritionis exercendæ est per modum orationis, qua tibi iam præibo.

EXERCITIVM CONTRITIONIS.

DOMINE IESV CHRISTE verè Deus & homo, creator pariter ac redemptor.

1. ACTVS.

1. Doleo ex intimo corde me offendisse diuinam tuam maiestatem quia tu es Deus meus & omnia, quē super omnia diligo & colo.

2. ACTVS.

2. Proinde firmiter statuo ac pro-

pono me non amplius te offensurũ, sed omnes peccandi occasiones pro viribus deuitaturum: me insuper de noxis meis rite confessurum, & pænitentiam, quæcunq; imponetur, impleturum: ad pleniorem verò Satisfactionem, hodie tibi me ipsum offero, vitam meam, & mea omnia, & omnes labores meos.

3. ACTVS.

3. Et quemadmodũ rogo te suppliciter & flagitio veniã delictorũ meorum, ita confido me eam impetraturũ, per infinitã misericordiam ac benignitatẽ tuã, per merita quoque pretiosissimi sanguinis ac sanctissimæ passionis tuę: daturum te gratiam emẽdandi vitam meam, & in bono perseuerandi vsque ad finem. Amen.

DISCIPVLVS.

O præclarissimam doctrinam! ô consilium diuinum! sed quoties, quæso, id opere præstandum censes?

DOCTOR.

Ex vsu fuerit quotiescunque se homo

homo, quâ est fragilitate, lapsum aduertet in peccatum, hoc pacto contritionem elicere: nequando fortè improuisa morte occupatus, minimo momento ad æterna supplicia detrudatur; vel saltem, ne vel tãtillum maneat in detestabili statu peccati. Quin etiam expediet quotidie, vt minimum, bis idipsum exercere, manè & vesperi, ne quà fortasse incuriâ, quod tanti momenti est, salutis nostræ negotium in discrimen adducatur.

DISCIPVLVS.

En, hodie firmißimè apud me constituo, ne vel transuersum vnguem à consilio tuo tam salutari discedere. precor etiam Deum Opt. Max. vt mercedem, quam hæc opera in me instituendo posita exigit, tibi aliquando reponat. Dic tu quoque, amabo te, in quo ego vicißim tibi gratificari poßim.

DOCTOR.

Deus tibi det gratiam ac robur vt semper in hac animi sententia permaneas. Ora tu Dominũ Deũ pro me vt quod te voce docui, opere

idem ego quoque implere poſsim, quoad vixero qua ratione ac via pariter, ſpero, ad portum noſtræ ſalutis, ad cæleſtem illam Ieruſalem exſultantes, ac gaudijs triumphantes pertingemus; vbi ęternùm ſimul erimus, vbi videbitur Deus deorum in Sion.

Ad maiorem Dei gloriam.

De FreqvENTI CONTRITIONE, SIVE,

Rationes aliquot è medio ſumptæ, quibus pia conſuetudo commendatur crebrò excitandæ Contritionis, manè ſaltem ac veſperi.

I. RATIO.

CVM initium ſapientiæ ſit timor Domini vt ſacræ Scripturæ monumenta teſtantur, nihil antiquius, nihilque prius ducere peccator debet, ſi rectè atque ordine ex diuinæ ſapientiæ præſcripto vitam inſtituere

tuere decreuerit, quã vt ſępiſſimè cum Deo ſuo in gratiam redeat. hîc ſtudium, hîc cogitationem quotidie defigat, in hoc omnes corporis animique neruos contendat.

2. Alia omnia pia exercitia, quantumuis ſancta ac ſalutaria, neceſſe eſt hoc Contritionis exercitio, tanquam fundamento omnis pietatis, nitantur ac fulciantur: ſine quo ſatis ipſa eſſe non poſſunt ad ſalutem, cùm Contritio, nullis adminiculis, ſit per ſe ſatis. quocirca potius huic virtuti tanti momenti, tantæque neceſſitatis, quàm vllis alijs omne ſtudium noſtrum impendi oportet.

3. Cætera quoque pietatis exercitia, neſcio qua hominum ignoratione, ſubinde nimio opere, & vltrà quàm ſatis eſt commendantur in vulgus: vt ſimplices aliqui ac rudes, dum ſibi perſuadent hęc abũdè ſufficere, atq; omnia in ijs poſita eſſe, facile, in fraudem adducantur. Ex quo fit, vt ad cohibendos ac reprimendos effręnes appetitus, ad

mores probè informandos, vitamque ferio emendandam animum non adijciant. Contra verò, hæc pia cõſuetudo, de qua loquitur, cum omnem culpam mortiferam procul amoueat, & ad morum reformationem tantopere conducat, non poteſt dignè ſatis pręceteris laudibus affici, aut prædicatione efferri.

4. Theologorum quorumdã grauiſsimorum ſententia eſt admodũ probabilis, in periculo mortis nos aſtringi peculiari præcepto Contritionis pro viribus eliciendæ, neque Attritionẽ abſolutè ſufficere, vt infra etiam vberius dicemus. Quod cum ita ſe habeat, quicũque hanc artem Contritionem excitandi omnium difficillimam ſanus atque incolumis non didicerit, verendum eſt, ne fruſtrà eã exercere nitatur defectis viribus in extremo ſpiritu, dum ingruent atq; inualeſcent gemitus mortis: Itaque dum viuimus ac valemus viribus etiamnum integris, quantũ cura, labore, vigilijs animi, corporiſque viribus eniti,

eniti, atque efficere poterimus, hãc artem, animi exercitationem, hanc philosophiam quotidie excolamus atq; amplectamur, nominatim manè ac vesperi; aliosque ad eandem consuetudinem validissimè incitemus.

5. Cum omnis dies, omnis hora quàm nihil sumus ostendat, quàm fallax vita, quàm omnia fluxa, & caduca, & incerta; illud verò certũ ac fide tenendum: nemini ad salutem aditum patere cum peccato mortifero, nisi per veram contritionem resipiscat, statuatque ritè cõfiteri, cùm necesse fuerit; nihil certè quidẽ melius, aut salutarius fingi potest, quàm hac pia consuetudine frequẽter cõtractas animi labes abstergere, quo securiores simus.

6. Quamuis iuxta communem Theologorum doctrinã, homo pænitens vi Sacramenti ex attrito fiat contritus; tamen neque omnibus suppeditat spatium sacra cõfessione animam purgãdi, neq; ita prorsus expedita & obuia est attritio illa,

quæ requiritur, vt contritus quis ex attrito fiat. quare cùm accidere poſsit, vt multi, quãuis adhibita diligentia, ad hunc attritionis gradũ non pertingant, quis non videt, quã ſit neceſſarium eò curam omnem, & cogitationem cõuertere, vt quotidie contritionẽ, quantum quidem in nobis ſitum eſt, excitemus?

7. Quantumuis licet iam dicta Theologorum ſententia de attritione iuncta ſacramento, ſatis tuta ac certa ſit; non tamen eſt articulus fidei. proinde in re tanti momenti, vnde pendet animæ ſalus conſultum non eſt in hac certitudine omnino conquieſcere; ſed potius vlterius adnitendum, opitulante Dei gratia, ad veram ac perfectam contritionem, quam certiſſimum eſt, ac fide definitum, ſufficere ad ſalutem conſequendam.

8. Tametſi etiam ſumma ſapientia, ac bonitas Dei Creatoris, ac Domini noſtri ſit, quæ circa Sacramenta (præſertim quæ maximè neceſſaria ſunt) ſine dubio prouidebit,

bit, nequis ordinariè contingat error ex parte Ministri, qui certè vergeret in graue detrimentum ea vsurpantium: tamen negandum non est, quin aliquando defectus aliquis interueniat: quem quidem vt contritio vera supplere potest, ita nullum aliunde supplementum est sperandùm.

9. Colligitur ex dictis, nihil in rerum natura inueniri, excepta contritione, quod nobis de salute nostra securitatem parere possit: contra verò, hanc solam (vt cætera omnia desint, nulla tamen nostra culpa) nos de ęterna beatitudine, quoad eius fieri potest, securos reddere. Ex quo perspicuũ est, quo numero & quo loco pium hoc exercitium habendum sit, & quotidie vsurpandũ. Et cum Concionatorũ omnium atq; Confessariorum munus sit, teste Apostolo, animas Deo reconciliare; neque id alia ratione ac via melius effici posit, quàm frequenti Contritione sordes peccatorum eluendo; quanti referre æstimabũt

ſuis conſilijs, auxilijſq; omnes ad id inducere, atque inuitare?

10. Quandoquidem voluntatem timentium ſe facit Dominus, & in gratiam decem duntaxat iuſtorum paratus fuit parcere Sodomæ & Gomorrhæ, alijſque eiuſdem regionis ciuitatibus; quo certo habendum eſt, ſi praxis iſta ſpiritualis, tam ſancta tamque ſalutaris, ac Deo grata ſtudioſè obſeruetur, alijſque identidem commendetur; Deum huius vniuerſitatis parentem, ac moderatorem, vindicem illam dexteram à ſupplicijs retracturũ, quæ nobis ob peccata interminatus eſt atque auream potiùs bonis omnibus cumulatiſſimam pacem, ac benedictionem benignè largiturum.

11. In vniuerſum, ad omne bonũ amplectendum, vitiumque fugiendum, nullus eſt ſtimulus acrior, aut efficacius incitamentum ſpiritu compunctionis, qui paulatim hoc exercitio Contritionis comparatur: particulatim verò ad vitæ ratio-

nem

nem bene, beateque instituendæ, ad curandas animorum ægritudines, quibus humanum genus grauissimè affligatur, ad prauos habitus radicitus exstirpandos, ad corpora victus cultusque asperitatibus edomanda; ad continentiã in prosperis, patientiam in aduersis; ad maiorem in via virtutis progressum, ad iniurias inimicis nostris generosè condonandas, ad maiora in dies incrementa amoris erga Deum proximumque, ad assiduam gratiarum actionẽ pro diuinis beneficijs, maiorem in operibus misericordiæ feruorem, perseuerantiam in bono; ad mortis, dolorisque contemptionem, ad rerum fluxarum despicientiam, & rerum cælestium flagrantissimũ amorẽ, ad omnia deniq; virtutũ ornamenta, quibus animus decoratur. Quæ singula, ne lõgior sim eiusmodi sunt, vt ad excitandũ, inflammandumq; quemlibet torpentem animũ sufficere possint. E contrario verò quid est quod grauissimos plurimorum lapsus (prô dolor)

æpe Ecclesia deplorare cogitur, quos multorum annorum laboribus in omni virtute probè exercitatos solatio sibi, ac subsidio fore sperabat; quid causæ est, inquam quod ita in vitiosissimos mores degenerant, nisi huius rei neglectus, dum spiritum contritionis exarescere ac penitus tandem extingui patiuntur, nec Spiritus sancti monitis parent, dum ait, *De propitiato peccato noli esse sine metu?* Ex his itaque manifestissimum fit per magnũ in hoc exercitio momentum], ac fructus.

EXAMEN.

CONSCIENTIÆ vtilissimum.

Constans tribus partibus videlicet.

Proposito matutino, vigilãtia diurna, & disquisitione vespertina.

MANE.

N*Ecesse est in primis cognoscat homo, penitusq; perspectum habeat præ-*

præcipuũ aliquod vitiũ ad quod maximè est procliuis. quo cognito oportet aduersus illud pugnã capessere, donec Deo duce bellatum sit. Itaq; matutino tempore statim dum à somno surgit actis Deo gratijs quod eum illa nocte conseruare, ac protegere ab omni malo sit dignatus, flexisque genibus Contritione, vt supra explicatum est, excitatâ, huiusmodi propositum apud se firmabit, hoc pacto:

Domine Iesu Christe, Deus cordis mei, desidero, volo, firmissimè propono, fretus auxilio gratiæ tuæ, vitam meam omnem, corporisq; & animi vires tuo seruitio mancipare, ac mori potius acerbissima morte millies, quàm vt sciens volensque in posterum maiestatem tuam vel leuiter offendere audeam, præsertim illo peccato quod me maximè premit.

INTERDIV.

Eodie, omni mentis prouisione curandum est, vt inconcussum atque illibatum seruetur propositum matutinum; idque renouandum est quàm sæ-

pißimè, verbigratia, dum auditur hora, ipsis actionū initiis, in egressu foras, in tentationibus aut in repentinis tentationum periculis. quo tempore præter hanc propositi renouationem, ex vsu fuerit etiam armaturam signi Sanctæ Crucis vsurpare, aut sanctißimi nominis Iesu, aut Mariæ; fusa insuper precatiūcula, quæ maximè placebit ac consentanea iudicabitur: in summa, nō est à prælio desistendum, quoad obtineatur victoria.

Sicui interdum quæ est humanæ natura imbecillitas, contigerit labi, ne immodico se mœrore affligat, neque languescat in incepto, sed animum erigat, feriat pectus, aut manu cordi admota veniam petat in hunc modum.

Hei mihi, bone Iesu, quid feci? parce mihi peccatori, parce per merita pretiosissimi saguinis tui, doleo intimis sensibus me diuinam tuam maiestatem offendisse, quia tu es Deus meus; & ipsa bonitas suprema. ah vtinam & bis vtinā morte immanissima millies ablata mihi hæc vita corporis potius, quàm

vita

vita gratię per culpam fuisset. Confirma cor meum Deus & da grati vt possim de hoc peccato cõfiteri; & seriò me rursus emendare.

Hæc ita faciat quotiescunque lapsus fuerit, sed efficaciter, & ex animo, cum sensu pietatis: simulq́; propositũ matutinum subijciat oculis, nouamque atq; adeo maiorem sedulitatem, & curam sibi imprimat culpæ omnis vitandæ. Porro licet in idipsum omne eius studium ac contentio feratur, ne tamen immoderatè ferat, vt dixi, si deliquerit, neque patiatur propositum flaccescere; sed potius animosius, & maiore nisu contra pugnet: sicuti qui in voraginem ceciderit, ac sæpe ceciderit, non trahet moram, aut ineptiæ se dabit, sed quamprimum exsurget, ac se proripiet ad sordes abluendas: ita in proposito.

Sapiens quoque Sanctorum consilium est, vt memoriæ causa signum aliquod circumferat, aut notam quampiam occultè apud se cõstituat, quoties id peccati seu delicti genus commiserit, siue superarit; quo facilius

ſub noctem in Examine eius diei rationem ab anima ſua exigere poßit.

VESPERI.

Antequam ſe componat ad quietem, flexis genibus, ſi fieri poteſt, aut quanta poterit maxima cum reuerentia in ſe inquiret, id eſt, in eius diei omnia dicta, facta, cogitata, hoc modo.

1. *Prima pars ſit gratiarum actio huiuſmodi:* Maximas & immortales, ô mundi cõſeruator, & Rector Deus, tibi gratias ago pro innumerabilibus diuinæ tuæ liberalitatis beneficijs, præſertim quibus à te hodie ſum affectus, pro vita corporis, & animæ, pro naturę nobilitate, qua me cæteris animantibus præſtantiorem eſſe voluiſti; quodque longè amplius eſt, pro vita & ſanguine tuo pro nobis effuſo; pro incomparabili dono gratiæ tuæ, alijſq; omnibus, ſeu temporalibus, ſeu diuinis muneribus tuis, quibus nos tibi arctiſſimo Charitatis vinculo hactenus deuincire conatus es; pro tẽpore hoc deniq; quod mihi ad excutiendã conſcientiã meam cõceſsiſti.

2. *Sequi-*

2. *Sequitur Petitio hoc modo?* Aperi, Domine, oculos meos, vt videã delicta mea: & robur animę meę suppedita, quo illa possim generosè detestari.

3. *Cum in semet ipse descendet, ac memoria repetet quoties in vitium illud, quod corrigendum susceperit, sit lapsus, quoties verò adhibito studio victoriam reportarit; item horas diei omnes percurret, & tanquam Iudex, cognitionem exercebit omnium illius diei actionum, locutionum, cogitationum, atque etiam omißionom præsertim quibus Deum offendit: denique occasiones & pericula peccandi, in quæ fortè incurrit, seriò perpendet.*

4. *Maximo animi sensu ac submißione agnoscet miserias; infirmitatem, malitiam suam: & capite, oculisque modestè deiectis dicet:* O Clementissime Domine, pudore suffundor, quod in tanta bonorum operum penuria, tot errata, tot peccata inspiciam, exceptis etiam quæ vel incuria, vel ignoratio tegit. Debeo tamẽ (& quod fateor) diuinæ tuæ boni-

tati

tati gratias, quòd me ab innumeris alijs sceleribus præseruâris, in quæ naturæ meæ infirmitas, nisi occulta vi gratiæ tuæ obstitisses, facilè toto impetu corruisset.

5. *Ad extremum pectus tundendo, & vehementissimum dolorem animo concipiendo petet veniam, statuetq; firmissimè emendare quæ peccauit, occasiones quoque & pericula omni cura declinare. Hîc tres itaq; actus Contritionis eliciantur vt* *sup. pag. 73.* Domine Iesu, &c.

TRIA DOCVMENTA PERQVAM OPPORTVNA.

CVm examen hoc Conscientiæ tanti momenti sit, tantiq; ponderis; sedulò curandum, vt eius consuetudo nunquã intermittatur; sed ratione eius, ac praxi penitus perceptâ, quotidie vsurpãda est: simulq; rogãdus Deus ter maximus, vt gratia ac lumine cælesti iuuet.

2. Nullum sit impedimentum, aut

aut occupatio tam grauis ac seria, quæ huic rei obstet: sed quotidie, dictis horis, dissipatis licet in varias curas, & cogitationes animi viribus tanquam receptui canedum. quòd si contigerit somno occupari antequã hoc officij præstitum sit; expergiscenti hæc prima cura sit, vt fiat. Vbi autem plures vel sanguine iuncti, vel contubernales & socij cohabitant, ad id se mutuò impellant & verbo, & exemplo.

3. Dies cum die conferatur, hebdomada cum hebdomada. menses inter se, annique singuli. qui cursus ad candorem animi, & perfectionem certissimus est.

Quâ ratione ac via hæc pia consuetudo inualescere, atque in vulgus emanere possit.

APud se quisque pro virili sua seriò ac constanter hanc seruare decernat manè ac vesperi; mulctâ etiam sibi indictâ, quotiescunque eam contigerit infringi idipsum paterfamilias liberos suos doce-

doceant, domini seruos, & sic alij alios.

2. Cùm non modò priuatis hominibus, sed Reip. etiam ad omnem morum honestatem, & ad omnem virtutum accensionem multiplicẽ afferat vtilitatem; Superiores omnes cùm ciuiles, tum Ecclesiastici, præcipiant Ludimagistris Triuialibus, iuxta ac Latinitatis professoribus, vt discipulos suos, pro captu suo quemque, hac ratione instituant, atque ad vsum informent.

3. Pastores omnes, ac vicarij eorum, Concionatores quoq; & Confessarij è pulpitis ac subsellijs suis multitudinis animos ad id omni studio inuitent.

4. Episcopi, Toparchæ, aliique Magnates curẽt typis excudi maximo numero libellos, seu folia maiora huius ipsius argumenti: distribui item gratis, & quauis ratione spargi in vulgus.

5. Quicunque Reipub. Præpositi, partem eius aliquam aut curam sibi demandatam sustinent, vt triremibus, ca-

bus, castris, carceribus, nosocomijs, & xenodochijs, opportunè, importunè rogent, obsecrent, impellant, imperent, vt ad pulsum campanæ, aut alio modo, etiam alta voce fortassis, Contritionis exercitium, vt explicatum est, obseruetur.

6. Ecclesiastici denique, ac Religiosi, quando operâ, & consilio iuuant moribundos, vt cymbam suam ad portum salutis appellant, & plenis velis ostia paradisi inuehantur, idem curent, cùm erga illos, tum alios præsentes: doceantque quomodo elicienda Contritio, non in illo modò temporis articulo, sed quotidie, & in omni vita.

Hæ sunt rationes, quæ occurrunt, hæc adiumenta præcipua, quibus corrupti hominum mores ad integritatem reuocentur. Ita quæ vtilissima factu visa sunt; quæque multis vsui fore credidi, quàm paucissimis potui, suggessi. alia alijs suggeret spero Deus, non minùs

nus idonea, vel opportuna: quem rogo, vt vestros conatus bene fortunet, ac ratos, gratosq; habere velit, ad sui Nominis gloriam, & complurium animarum salutem.

AMEN.

Ad maiorem DEI gloriam, ac Deiparæ Virginis Mariæ.

TRA-

TRACTATVS
De
CHRISTIANIS
OPERIBVS.

Authore

FRANCISCO BORGIA
GANDENSI
Duce,

Posteà

Tertio Societatis IESV
PRÆPOSITO
GENERALI.

COLONIÆ,
Apud Ioannem Kinckium,
ANNO M. DC. XV.

TRACTATVS DE CHRISTIANIS OPERIBVS.

ARGVMENTVM.

TRia ſunt, quibus exerceri animum conuenit, vt eius opera in diuinæ Maieſtatis conſpectum aſcendere mereantur. Ea verò ſunt: Primum, vt ſe in ſingulis rebus confundat: Secundum, vt Deo gratias agat: Tertium. vt aliquid à Deo petat. *Quibus quidem etſi in omnibus vti poßit, nos tamen ea his ſolum accommodabimus, quæ quotidiana ſunt. Tu verò Lector, ex his poßis facilè intelligere, quemadmodum te in reliquis gerere debeas. Vt ergo à primis incipiamus.*

Cùm te manè veſtibus induis.

Confuſio.

COnfundere, quod te induas, cùm Chriſtus in cruce nudus tua causâ ſit.

Gratia-

Gratiarum actio.

Gratias age, quòd noſtram ille humanitatem pro nobis induit, quos ſciebat, quàm eſſent beneficio tanto futuri ingrati; quodque nos gratiæ, quam ſæpe lacerauimus, veſte induit.

Petitio.

Petas autem, vt quando te induens, nudum veſtis, ſit ei gratum hoc miſericordiæ opus, atq; id eum per eam ignominiæ veſtem obteſtare, quâ ab Herode indui iuſſus eſt.

CVM AVDIENDI SACRI causâ templum adis.

Confuſio.

Quòd Deum, imperfectus ipſe, laudaturus templum adeas, quem perfecti Angeli perpetuò laudant.

Gratiarum actio.

Quòd cùm ex eius domo peccatis abſtractus tam ſæpe abieris, reuocat ille tamen toties te, & ſtans ad oſtium pulſat.

Petitio.

Vt per eam charitatem, quâ beatiſſima

tissima virgo filium in templo præsentauit, tu Deo præsentari, & Spiritus sancti templũ effici merearis.

CVM ORAS.

Confusio.

Considera tuorum peccatorum multitudinem, & cum Publicano dic: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Luc. 18.

Gratiarum actio.

Quòd pro te Christus orârit, idq; impetrârit, vt cũ tu oras, exaudiaris.

Petitio.

Vt per eam orationem, quam in deserto pro peccatoribus fudit, ea dignetur dona concedere, quæ nos oratione Dominicâ petere iussit: recitabis verò eam semel.

CVM SACRVM AVDIS

Confusio.

Quòd ad id te negligenter præparaueris, vt Deo in Sacro assisteres, quodque beneficij huius continuatio, quæ te debuit magnopere permouere, vt id magnifacias, (est enim immensæ Christi charitatis argu-

argumentum) ipsa negligentem, adeoque ingratum reddiderit.

Gratiarum actio.

Quòd te Angelum efficit, si viuâ eum, quem adoras, fide confiteris. Est enim Angelorum Deo assistere eumque sine intermissione laudare.

Petitio.

Vt per illud sacrificium, cuius hoc monumentum est, sui sanguinis tibi merita impertiat, tibique huius sacrificij virtute eam lachrymarum copiam det, quibus peccata abluas, faciatq; vt mortuo in te veteri homine cum Christo insurgas.

CVM MENSAE ASSIDES.

Confusio.

Quòd eius pane vesceris, cui infidelis, & ingratus fueris.

Gratiarum actio.

Quod te, cùm ipsius inimicus esses, hactenùs enutrierit.

Petitio.

Vt per eum amorem, quo in deserto turbas paucis panibus saturauit, suæ gratiæ pane te quotidie pascat.

IN NEGOTIIS QVAE AD noſtram, vel proximi vtilitatem pertinent.

Confuſio.

Quòd nos noſtram, vel proximi cauſam Deus agere velit, qui nobis ipſi, atq; alijs ſæpe detrimenti cauſa fuerimus: cùm præſertim tanti momenti ſit proximorum vtilitati ſtudere, vt eâ causâ Chriſtus in hunc mundum venerit, vt noſtram videlicet & proximorum cauſam ageret.

Gratiarum actio.

Quòd cùm his ipſe negotijs nihil indigeat, ita ei tamen, quaſi indigeret, grata ſunt.

Petitio.

Vt per eam charitatem quâ dixit: *in ijs oportere ſe eſſe, quæ ſui patris eſſent*, eam nobis gratiam concedat, vt in his ſemper ſimus quæ ad eius gloriam & honorem pertineant.

CVM VESPERI ORAS.

Confuſio.

Quòd Deum alloqui debeas,

quem trementes dominationes, & potestates adorant.

Gratiarum actio.

Quòd ad ornandum animum nobis dans iubet, vt à se petamus.

Petitio.

Vt per eam voluntatis suæ cum Patris voluntate consensionem, qua in horto sanguine sudans Patri dixit, *Non quod ego volo, sed quod tu. Mat.* 26. diuinæ voluntati conformes & in vita & in morte esse mereamur.

CVM COENAS.

Confusio.

Ob negligentias eo die commissas: quare dolens comede, & dic cum Propheta: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Psalm.* 41.

Gratiarum actio.

Quòd de prandij beneficio ingrato cœnam præparauerit.

Petitio.

Vt per eam Charitatem, quâ se in vltima cœna in cibum dedit, nos prçparet, vt se humiliter recipiamus, eiq; semper charitatis vinculo coniuncti simus.

CVM ORAS CVBITVM iturus.

Confusio.

Quòd cùm Christus in cruce tanto & amore, & dolore pro te preces fuderit, tu tamen parum ames, parumque doleas.

Gratiarum actio.

Quòd moritur ille, & tu viuas.

Petitio.

Vt per eum dolorem quem sensit ipse quidem moriens, eius verò mater morientem aspiciens, id nobis concedat, vt & in morte nostra mortis ipsius recordemur, & propter ipsius mortem nostra sit æterno patri accepta.

CVM TE NOCTV VESTIbus exuis.

Confusio.

Quòd requiescere in lecto vis, idque exutus vestibus, cum pro te Christus & indutus vestibus somnum ceperit, & vbi caput reclinaret non habuerit.

Gratiarum actio

Quòd ijs quæ pro te passus est, tibi veterem hominem exuerit.

Petitio.

Vt per eum dolorem quem sensit cùm vestibus crucifigendus exueretur, nos malis mentis habitibus, & moribus exuat, vt nudi rebus terrenis crucem amplectamur, atque in cruce morientes nuptialem vestem mereamur, quam præparauit æternus Pater diligentibus se.

FINIS PRIORIS EXERCITII.

Quia verò longum esset exercitij huius formam ad omnia nostra opera accommodare, hæc satis sint, ex quibus quemadmodum reliqua, ad hanc normam exigenda sint, facilè colligi posset. Quòd si cui placet in cæteris etiam exerceri, hac, quæ sequitur, forma vti poterit.

Cùm stat.

Meminerit stantis ante iudicem Christi.

Cum sedet.

Sedentis Christi, cùm ei illuden-

tes impij dicerent: Aue rex Iudæorum.

Cùm ambulat.

Per Samariam tranſeuntis, itemque in Caluariæ montem aſcendentis.

Cùm defatigatur.

Defatigati ex itinere, & ſuper fontem ſedentis.

Cùm equo inſedit.

Vecti aſino, atq; Hieroſolymam ingredientis.

Cùm ægrotos inuiſit.

Aegros ſanantis.

Cùm eius bona opera reprehenduntur.

Accuſationis Iudæorum, & murmurationis, quòd Chriſtus in Sabbatho curaret.

Cùm ei ab aliquo aſperiùs reſpondetur.

Eius reſponſionis, *Sic reſpondes Pontifici?* eius etiam colaphi, quem in Chriſti faciem ſacratiſſimam impius miniſter impegit.

Cùm fame premitur.

Eius quam in deſerto paſſus eſt.

Cùm

Cùm friget.

Algentis in præsepio Christi.

Cùm sitit.

In Cruce sitientis.

Cùm excitatur à somno.

A suis discipulis, cùm in naui dormiret, excitati.

Cùm in aduersis deseritur ab amicis.

A fugientibus discipulis destituti.

Cùm discedit ab amicis.

A Virgine ad passionem abeuntis.

Cum eius bonis operibus detrahitur.

Detractionis Iudæorum, cũ dicerent: *In principe dæmoniorum eijcit dæmonia.*

Cùm publicè contumeliam patitur.

Producti ad populum à Pilato, dicente: *Ecce homo.*

Cùm falsò accusatur.

Accusati in domo Cayphæ.

Cùm iniuriam patitur.

Ad mortem iniquissimè condemnati.

Cùm dolore aut morbo grauatur.

Flagellis cæsi ad columnam, spinisque caput cincti, atque in crucẽ addicti, vbi à planta pedis ad verticem non erat in eo sanitas.

Denique cùm morti propinquus est.

Morientis Christi recordetur, atque in Patris manus spiritum commendantis.

Atque ita in omnibus Christo, *quem similia aut fecisse, aut pati meminit, sese offerat. Ita ex his, & similibus effectibus, magnum, qui se ex charitate hoc modo diligenter exercebit, fructum referre poterit.*

Porro quia hactenus ferè exteriorum rerum exempla posita sunt, de interioribus nonnihil etiam addendum putauimus, idque in spiritualium præsertim virorum gratiam, qui non tam corporis quàm spiritus molestias, & labores sentiunt.

Cum igitur à se datum ex charitate consilium videt à proximo non recipi: meminerit Christi etiam consilia

consilia fuisse à plerisque spreta.

Cum offendi passim Deum videns ægrè fert: vehementer commotum Christum ex templo vendẽtes, atq; ementes aliquando eiecisse recordetur.

Cùm videt spiritualem aliquem amicũ virtutis viam deserere: quid Christus senserit, cùm Iudam vidit veritatis viam deserentem.

Cùm considerat, quàm pauci sint pastores in domo Dei, qui suo pro dignitate munere fungantur: quid senserit Christus, cùm dixit, *Meßis quidem multa, operarij autem pauci.* atque ex ea causa quantũ fleuerit.

Cum dolet ob defectus proprios: vidisse Dominum eos antequam essent, & doluisse.

Cùm videt collapsum aliquem ex perfectionis statu: quàm Christus ægrè tulerit casum Petri, qui se anteà fuisset cõfessus Filium Dei, & transfiguratum in monte vidisset.

Cùm tentationibus premitur: quas Christus tulerit in deserto.

Cùm videt malis bonorum so-

cietatem diſplicere: quo animo Chriſtus fuerit cùm Geraſenos, ad quos bonitate, & charitate permotus venerat, rogantes videret, vt ab illorum ipſe finibus diſcederet.

Cùm dolenter proximi alicuius peccata: cogitet appropinquantem Chriſtum Hieroſolymorum ciuitati ſuper eam fleuiſſe.

Cùm imperfectam fidem habere quenquam videt: meminerit dicentem Chriſtum diſcipulis, qui ob incredulitatem dæmonium eijcere non poterant: *O generatio incredula, vſquequo patiar vos?*

Cùm irrident bonos mali: dictum eſſe Chriſto in cruce, *Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere.*

Cùm hi qui malè vixerant, moriuntur: magnopere doluiſſe Chriſtum videntem paucis ſuum eſſe ſanguinem profuturum.

Cùm ſibi deuotionis ſpiritum deeſſe ſentit: dicentem Chriſtum, *Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me:*

Cùm Dei quis nomẽ blaſphemat: vidiſſe

vidiſſe id Chriſtum olim, & doluiſſe.

Cùm ſe familiaritate Dei priuari ſentit, eique cupit eſſe quam coniunctiſsimus, aut cùm ſe huius vitæ periculis eripi optat: quanta illa fuerit Chriſti charitas, cum patrem pro re hac ita oraret. *Pater pro eis rogo, vt vnum omnes ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.*

Hæc, inquam, ita cogitanda, & cùm quid accidit, id in mẽtem reducẽdum, quod Chriſtus in ſimili ſtatu conſtitutus ſenſerit, eiq; quod nos vel agimus vel patimur, offerendum. Qua in re ſedulam quiſque debet operam ponere, nec ſibi tantam ſalutis occaſionem ablatam eripi ſinere: alioquin non ſolum turpis negligentiæ, ſed etiam inſignis erit ingratitudinis nota, ſi quæ tam facilè poſſumus aſſequi bona, parui faciamus. Quare te oro, moneo atque hortor, ô anima, quæcunque es, ne tantum bonum negligas: ſed cogites quam ſit facile, quod à te exigit Deus, quanta verò largiri cupiat. Petit enim ex te

quæ etiam ipso non petente fueras factura: & ambulandum enim est, & comedendum, & laborandum, & ægrotandum, denique ac moriendum. Quæ tu, & eiusmodi cætera, si tua aut mūdi causa agas, vel patiaris, prætérquam quod & laboriosa erunt, nullum ex his fructum referes, si autem Christi amore agas ac feras, & erit tibi leuior labor, (recreat enim Christus pro se laborantes) & vbi ipsa transacta erūt, præmium accipies, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec vlla potest lingua enarrare. *Quamobrem cōmittendū nullo modo est, vt tantam culpâ nostra felicitatem amittamus: sed in id potius totis virib. incūbendum, vt Christum in omnibus imitemur. Ita fiet, vt illa nos subinde verba consolentur:* Qui sequitur me, nō ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitę: *lucem videlicet illā*, quæ illuminat omnem hominē venientem in hunc mundū, *omnesq; beatos in vitæ æternæ portū feliciter perduxit. Quo nos Deus gratia sua tandē aliquando perducere dignetur, vt* Patrē,
Fili-

Filium, & Spiritum ſanctum laudemus & glorificemus in ſecula ſeculorum. Amen.

EIVSDEM

AVTHORIS

COLLYRIVM

SPIRITVALE.

PROLOGVS.

EX damnis quæ nobis ſuperbia affert, poteſt humilitatis fructus agnoſci, quæ eò in Scriptura magis celebratur, quò magis eſt ad vitam Spirituale inter virtutes cæteras neceſſaria; quippe quæ ſit totius ædificij ſpiritualis fundamentum. Parũ enim profuerit, ſcientiã, aut fortitudinem, aut libertatem, aut eiuſmodi virtutes acquiſiſſe, niſi eas quis humilitate cõſeruet. Etenim quid prodeſt Eleemoſyna, quã, cum deſtituitur humilitate, vanæ gloriæ vitium inficit? Quis porrò fructus ea quę fortiter facta putan-

putantur sequi potest, si humilitate careant hi qui ea gesserunt? Id quod de reliquis virtutibus dici possit, planè apparet magnum esse superbiæ detrimentum, idque vel ex eo agnosci potest, quòd hæc vna de cęlo Luciferum deiecit, & hominem ex eo quo fuerat honore præditus deturbatum, similem iumentis effecerit. Quod cum ita sit, non puto esse necessarium, humilitatis virtutem magnopere commendare, sine qua, quod altum hominibus esse videtur, abominabile est ante Deum: tantum itaque ea tradam, in quibus si diligenter versemur, hanc poterimus virtutem facilius consequi; quam nisi diligenter custodiamus, quæ est inimicorum nostrorum in oppugnando dexteritas, facile erit amittere. Quare attentè quæ sequuntur consideranda sunt ei, qui velit tanto hoc præsidio contra omne genus mali vti, de quo scriptum est. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Quod vt studiosè facias, amice Lector, id

te mo-

te mouere poſſit, quod cùm beatiſſima Virgo virtutibus omnibus cumulata eſſet, humilitatis tamen ſolius videtur meminiſſe, cum Dominum magnificans dixit. *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Quod cùm ad humilitatis commendationem magnopere facit, tum illud quod Dominus præ cæteris virtutibus humilitatem, & manſuetudinem à ſe homines diſcere vult, quod certè omnes deberet maximè excitare ad diligēter in hac præcipuè virtute operam ponendam.

ARGVMENTVM.

CVm hoc vnum præcipuè nos ſoleat in ſuperbiā efferre, quod nobis plus æquo tribuimus: par eſt, tantum hoc malum, atque animæ detrimentum, quod ei ſui ignoratio affert, contrario adhibito remedio pollere. Quocirca vt ſolet aduerſarius ea menti offerre, quæ hominis cogitationem diſsipant, atque à ſui cognitione auertunt: ita con-

contra opus est, in his mentem aßiduè exerceri. eaque considerare, quibus in vera humilitate conseruetur. Quo verò vbique se poßit defendere, quando vndique oppugnatur. Tractatū hunc (quo id instituimus docere, quo se quisq; pacto in spiritualibus rebus, atque corporalibus, quo etiam in exterioribus, atq; interiorib. poßit confundere, id est de se vt debet humiliter sentire, seq; in omnib. humiliter gerere) ita diuidemus, vt primo loco dicamus: quēadmodū eorū quæ sub terra sunt, poßit cōsideratione confundi: secūdo vero, vt ex ijs quæ sunt super terrā, inanimatis videlicet creaturis, atque ijs quæ vegetandi, & sentiendi vim habent, ex proximis denique atque ex se ipso humilitatis fructum poßit referre: postremò, vt ex ijs quæ in cælo sunt, & super cælū Angelis nimirum, & Sāctis diuina denique Maiestate, eundem confusionis fructum reportet: ita poßit anima vbique & humilis esse & Deo placere.

(.·.)

PRIMA PARS,

Quæ traditur, quemadmodum eorum quæ sub terra sunt, se poßit animæ consideratione confundere.

CONFVNDIT NOS INFERNVS.

MVLTA sunt in Inferni consideratione, quæ ad nostram confusionem atque humilitatem plurimum valeant.

DAEMONES.

Primũ enim, quem non moueat, quòd cùm vno solo peccato in tãta supplicia dæmones sint coniecti, se tamẽ, qui tam multa commiserint, nec dum vidẽt digna supplicia pati? Quem, inquam, non confundat, qui in se Dei patientiam tantã experitur, vt cum tam seuerus iudex fuerit in dæmones, ei locum patientiæ tam benignus concedat? Quod eo magis permouere vnumquemque debet, quod eam soleant homines in persuadendo alijs pecca-

peccato diligentiam adhibere, quã nec à Lucifero factam vſquam legimus: nec enim verbis tantum homines, ſolaque vt Lucifer, ſignificatione, ſed importunis etiam precibus, ſed pecunia, ſed honore, ſed vita, omnibus denique quibuſcunque poſſunt modis, alios in peccatum impellunt: vt hominum malitia hac certè in parte Luciferi malitiam excedere videatur. Quod vel vnum, hominum ſuperbiam eovſq; deberet deprimere, tantamque homini confuſionem afferre, vt ea aliqua ſaltem ex parte, quod in inferno ſupplicij peccata noſtra merẽtur, compenſaretur. Accedit huc, quòd eò vſque procedit plerunque hominũ nequitia, ne dicã inſania, vt ipſum etiã dæmonem ſoleat ad ſe tentandũ prouocare, eiq; ad ſui interitum tanquam arma præbere: vt mihi immerito facere videãtur, qui cuius ipſi damni cauſa ſunt, in dæmonem culpam ſolent reijcere. Quod ſi quis alios ad crimina pepulerunt, vix pro cõfuſione
inter

inter eos consistere possunt ante terrenũ iudicem; quanta par est cõfusione plenum esse, qui se cum dæmonibus ante Christi tribunal sisti consideret? Hæc si quis, qua debet, attentione secũ reputet; possit ille quidem, & certè debet, ob propriã malitiam eo vsque confundi, dum plene intelligat, quanta non solum in hac vita, sed in ea etiã quæ nullũ sit finẽ habitura, suis peccatis supplicia promeruerit. Ita fiet, vt leue ei videtur omne quidquid in hac patitur si cũ ijs cõferat, quę in inferno (si cum eo pro meritis actũ esset) fuisset passurus. Itaq; confusione plenus, & suam miseriã agnoscat & eam, qua se tamẽ indignum sentit misericordiam petat.

Ne verò quisquam eorum, qui se ijs (de quibus iam diximus) malis liberum putat, existimet non esse cur se magnopere confundat: quisque secum de hac re sic reputet, nihil esse cur de se minus humiliter sentiat; quin potius eo maiori se cõfusionis obligatione obstringi, quod vna

vna cum tantis malis Dei gratia per singula temporum momenta eripiat: quæ nisi hominibus præsens esset, quis nõ in peccati foueã caderet, adeoq; æternis supplicijs dignus esset? Cùm verò hæc Dei misericordiâ euaserit, quas non ei gratiarũ actiones debeat? Magna certè ijs se confundendi causa inest, qui cùm perpetuo Dei misericordiam tantã experiantur, tãtopere nihilominus sunt ingrati: atque eo magis humiliari debent, quo se minus Dei gratia dignos agnoscunt; nihilque minus in Dei obsequio facere debent, quàm si ex inferno educerentur, fuissent facturi. Quam si quisque obligationẽ rectè consideret, seq; pro beneficiorum magnitudine parum posse Deo referre intelligat, hic nõ animum despõdeat, sed illa se Prophetæ admonitione consoletur: *Ne auertatur humilis factus confusus, pauper & inops laudabunt nomen tuum.* Psal. 73.

DAM-

DAMNATI.

Deniq; ſi coram dæmonibus habet homo multa quibus ſe confundat, nihil ſe minus debet coram reliquis dānatis confundere, quando intelligit multos eſſe ob vnum peccatum tantū coniectos in infernū. Vbi quid ſentire æquum eſt eum, qui ſe tanta, tamque multa peccaſſe agnoſcit? Debet certè qui hæc conſideret, quantum illos peccatis, tantū etiam cōfuſione, ſi poteſt, ſuperare.

LIMBVS.

Iam verò ſi eos qui in limbo ſūt conſideres, quantaque te Deus miſericordia à multis quæ accidere ſolent periculis ereptum, ad baptiſmi gratiā, ne illô caderes, tandem perduxerit, eſt certè quod plores, lachrymiſque tantam ingratitudinem diluas, eoque magis quod qui in limbo ſunt, nullum vnquam mortale peccatū commiſerunt, tu verò quoties id commiſiſti, toties fuiſti infernū promeritus. Quod ſi illi minori peccato in tam profundum locum deiecti ſunt, qua tu fron-

fronte audeas super terram viuere, qui Deum toties grauiſsimè offendiſti? Quibus verò oculis audeas Dei viſionem contemplari, qua illi multo minore culpa priuati ſunt. Hæc ſi rectè conſideres, nec illos qui in limbo ſunt, dum tua cum illorum peccatis confers, intentis audeas, ſat ſcio, oculis aſpicere.

PVRGATORIVM.

At eorum conſideratio qui in purgatorio ſunt, eo nos magis debet confundere, quod illi quamquã tuto iam loco, tantisq; mundi malis erepti, certi præterea nunquam ſe amplius Deum offenſuros, in portum denique prouecti, in ſuppliciis tamen ſunt: nos verò & tẽpeſtatibus iactamur, & ſalutis noſtrę incerti, inter aſtutos admodum & acerrimos hoſtes, ideoque in perpetuis periculis verſamur. Quod ſi cuiquam confuſionẽ minuat, quod illos intelligit digna peccatis ſupplicia pendere, is ita putet, nonnullos fortaſſe ibi cruciari ſuo vel exemplo, vel prauis conſiliis, vel ſcãdalo

dalo, vel denique negligentia in peccatum impulſos. pleroſque etiam ibi diutius retineri, quod eius orationibus alijſque ſuffragiis minus adiuuẽtur. Id ergo iſtum (quiſquis eſt) confundat quod eis vt patiantur cauſa fuerit, opem vt liberentur aut nullam, aut exiguam ferat: propriaſque putet eorum culpas, & ſuas, quia neſcit an ſolo purgatorio igne ſint diluendæ, eo ſe magis, magiſque confundat.

SECVNDA PARS.

Qua traditur, quemadmodum eorum quæ in terra conſpicimus, conſideratione confundi debeamus.

SI eorum qui noxij ſunt comparatione nocentiores inuenimur, quales coram innoxijs rebus, quæſo apparebimus? Etenim ſi eorum qui peccarunt, conſideratio noſtrã magnopere ſuperbiam deprimit; quantò nos eorũ conſideratio humiliare debet, quę nunquam à Creatoris præcepto vlla in re diſceſſerunt?

runt? Inanimes dico creaturas, quæ solum vegetandi, vel sentiendi vim habent, vehementer quidem arguunt nostram inobedientiam, ingratitudinem, atque inertiam.

CONFVNDIT NOS TERRA.

Terra quidem, quæ fructum profert, nos planè reprehendit, qui infructuosi, atque steriles sumus.

AQVA verò, dum prata irrigat, sitim sedat, eaque facit, ob quæ à Deo data hominibus est, quantum eos arguit, qui eam tunc Creatori negant, cùm ipsius nomine petenti pauperi præbere omittunt!

IGNIS. Iam verò ignis, dùm sapidas carnes reddit, quantum eorum crudelitatem condemnat, qui proximi carnē inclemēter tactant.

AER. Quantum verò aër qui nostram perpetuò vitam tuëtur, negligentiā nostrā in Dei obsequio, quos vel vna hæc res maxima Deo seruiendi obligatione deuincit.

LAPIDES: Petræ verò, quæ in Christi passione, quanquam insensibiles,

ſibiles, ſciſſæ ſunt, quantum debe-
rent noſtram duritiem, atque inci-
uilitatem confundere!

MEL. Eſt mel palato dulce, nos
verò Deo amariſsimi.

FLORES. Suauis eſt florum o-
dor, at noſtrorum quantus eſt pec-
catorum fœtor?

PLANTAE. Creſcunt plantæ,
ſurſumque tendunt: at homo dum
vilia ſectatur ſe magis, magiſque
indies deprimit: cui quãto eſſet cõ-
ſultius vel in hac re arbores imita-
ri? quæ quo in profundum plures
radices iaciunt, maiorem ex ijs ad
ramos virtutem trahunt: ſic enim
homo ſi profundas humilitatis ra-
dices iaceret, magnum virtutum
fructum referret.

IVMENTA. Iam verò quem nõ
moueant iumentorum ſeruitia? cũ
præſertim ijs exhibent, qui ſe pec-
catis iumentis ſimiles reddiderunt?
Quãto verò digniore ſt, qui hęc male
tractat, qui male tractetur? aut quis
non iure miretur obedire hæc illis
qui Dei tamen voluntati repugnẽt?

ARIES. Induit te aries pelle, & vestit lana, suisque sustentat carnibus: tu verò eis cum in Dei gloriam vti deberes, his atque alijs Dei beneficijs abuteris, dũque mille modis tuæ concupiscentię studes satisfacere, & creaturis, & Deo iniuriã facis. Fatigatum labore leuant supposito tergo iumenta, seduloque in ea re suo, qui eas in hunc finem creauit, creatori parent: tu verò nihil minus quã finem tuum aut cogitas aut quæris, quem certè par erat Deo aliquam (si ita dicere licet) quietẽ adferre, quando ex eius creaturis tantum in labore leuamẽ capis. Nõ est quidem quod quiete putemus indigere Deum, qui quidem summa est sui atque omnium felicitas: sed quiescere tamen (quæ est eius benignitas) putari se vult in iustorum animis, *Delicias suas* ait, *esse cum filijs hominum*; de quibus tamen in hunc modum meritò conqueritur: *Laboraui sustinens.* O quantum verbum hoc ad nostram cõfusionem valere debet, quãdo nostris Deo operibus

labo-

laboris causa sumus, cum quietis tamen esse deberemus! Itaque non de brutis, sed hominibus dictum est: *Pœnitet me fecisse hominem.* Hæc te, cum ô puluis, & cinis, humiliẽt, hæc tibi lachrymas excutiant: idq; præsertim cum creaturarum seruitio quietem tibi adferre sentis, quãdo non tu similiter erga Deum te geris. Cùm verò iumentis tuis pabulum das, ita puta, quanto æquius est illis te, quam tibi illa seruire. quæ numquam Deo nec rebellia, nec ingrata fuerunt.

SERPENTES. Serpentium prudentia, qui feruntur admota altera aure terræ, alteram, ne vocem incãtatoris audiant, cauda occludere; tuæ te imprudentiæ admoneat, qui ne ad dæmonis quidem tentationes aures claudere didicisti.

FORMICAE. Tuam tibi inertiam formica demõstret, ea in æstate præparans, quæ ipsi sint in hyeme vsui futura: quod vel vnum plane tuam negligentiam arguit, qui non ea, dum viuis, merita præpares, qui-

bus sis post hanc vitam maximè opus habiturus.

APES ET BOMBYCES.

Quo verò sit latior meditandi campus, apes cogita, & bombyces, & eiusmodi reliqua animalia, ita tibi admirāda multa, quæq; magnā in te excitent confusionem, occurrent: quæ nos consultò omittimus, ne prolixiores simus, simul etiam quod nobis id propositū sit, vt rem tantū indicemus, quæ sit diligenter ab vnoquoque cogitanda, maiora melioribus ingenijs relinquentes. Hoc verò interim admonemus, magnam in creaturis omnibus suppetere confusionis materiam, si, quoties vna quęlibet occurrit, persuasum habeas, te quoties Creatorem offendisti non meruisse tantū, vt earum obsequio careres, sed vt illæ etiam in te Dei iniuriam vlciscerentur. Quod cum eas necdum fecisse vides, sed tibi adhuc seruire: quantas debes, quantaque cum humilitate, Dei misericordiæ laudes? quam sæpe porrò te ad Dei obse-

qui-

quium paratum offerre?

SVS, CANIS.

Ne verò quemquam impediat quorundam brutorum cōsideratio, dumque vel volutantem se in luto suem conspicit, aut cum resumentem canē videt quod euomuerat, se illis putet non esse sordidiorem. Vtque de rebus iudicet quisque vt par est, sciendum est, nihil per se malum esse, nisi quatenus in conspectu Dei, vel Dei iudicio malum est. Quare cum ea quæ de sue, & de cane diximus (quippe quæ sint eis naturalia) non habeantur mala coram Deo, non esse à nobis mala existimanda: sed illud potius cogitādum peccatori quale sit, aut quas mereatur pœnas, cū sus faciat secūdū naturā, dum voluitur in luto, facit ille contra naturam suā, cū Deū nec amat, nec Deo seruit: cumque in peccato quiescit, in quanto sordidiore quàm sus, luto volutetur; quantoque (cùm ad relictum peccatum redit) fœdius quam ca-

nis ad vomitum reuertatur: atque id eum confundat, eoque magis, quod ista intelligit Deo magnopere displicere. Non itaque quenquã reuocent à confusione quorundam irrationalium animalium facta, sed sua quemque malè acta confundãt, qui iudicio libero præditus, omne potuit, & debuit malum vitare. Atque hæc de iis quæ ratione carent.

RATIONALIA CONFVNDVNT NOS.

SEquitur vt dicamus, quemadmodum nos debeat rationalium creaturarum, id est, proximorum nostrorũ consideratio confundere.

SVPERIORES. Sunt igitur in his superiores alij, alij æquales, alij verò inferiores: de superioribus pauca dicam, quando eorum auctoritas, & in te potestas, tantopere debet mouere ad humilitatem cùm præsentes sunt, vt nisi te humillimè coram ipsis geras, rationis iudicio carere videri possis, qui non consideres quam illi, & qualem personam gerant. Con-

Confundat vero te, magnoq́ue timore concutiat, quòd cùm sint hi ministri Dei, non de te, qui diuinam Maiestatem læsenis, pœnas sumant. Itaque si iubeant aliquid, si reprehendant, si castigent, id tibi quamquam aliis durum videri possit, debet leue, & suaue videri, siue id cogites quod mereris, siue id memineris quod olim sub dęmonis potestate faciebas, cùm videlicet sub eius vexillo peccato seruires, eiusque in rebus non ferendis iugum ferres: vtebatur enim te tanquam carnifice, cum videlicet te ad perpetrandum opere aut mente homicidium adigebat; te denique tanquam fœtidorum & corporum, & animarũ vectore vtebatur, cum tuis vel exẽplis, vel persuasionib. multi in peccatum cadentes, in infernum tandem præcipites ibant. Hanc tu tã miserã seruitutẽ si tecũ reputes, dulcia tibi videbũtur omnia superiorũ præcepta, cũ te præsertim illi nõ iubeant facere, nisi quæ ad pacificam, quietamque, & fraternæ charita-

tis plenam vitam pertinent:teque indignum iudicabis, qui eos habeas ſuperiores, qui ſint ipſi miniſtri principis pacis, & tibi occaſio magna merendi vitam æternam. atque hæc de ſuperioribus ſint ſatis.

AEQVALES. Aequalium conſideratio ita te confundet, ſi te indignum putes qui æqualis dicaris iis, quibus vel dignitate, vel officio minor non ſis:debes enim illorũ virtutes cogitare, quibus te coram Deo maiores ſunt. Quod vt tibi perſuaſum omnino ſit, ita cogita, neminẽ tibi teipſo in malis notiorem eſſe: ſcis enim de teipſe, quam multa & malè cogites, & appetas: aliorum verò interiora peccata non tibi perinde certa ſunt. Quod cùm ita ſit, ſintque tibi peccata tua certa, aliorum autem incerta, meritò te debes peiorem cæteris iudicare, adeoque reliquis inferiorem.

INFIRMI. Quocirca ſi quem-quam vides infirmũ, cùm tu ſanus ſis, noli efferri, ſed potius humiliter conſidera, tractari illum à Patre cę-
leſti

lesti tanquam dilectum filiũ, te verò paterna correctione, & amoris plena indignum esse: contrà verò si tu ægrotus sis, puta te id tuis peccatis meruisse; alios verò qui prospera vtuntur valetudine, id consequutos, tanquam quibus non magna pro peccatis satisfactione opus sit.

DIVITES. Si diues sis, illud time, quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt: si proximus; cogita ei, quod fidelis sit dispensator rerũ Domini, auctum fuisse talentum.

PAVPERES. Si pauper sis, Dei iusto iudicio, & tuis meritis tribue qui vel spiritualia bona tibi à Deo data dissipaueris, aut egẽtes proximos re, cùm posses, aut orationibus, atque aliis huiusmodi eleemosynis non iuueris: si proximus, existima eius à Deo votis satisfactum, magnoque illum à Deo beneficio cumulatum, qui Christo paupertate similis effectus sit. Ita te si in proximorum rebus geras, deque

illis, & te sentias, (vt par est) nunquã tibi confusionis materia deerit.

INFERIORES. Nec verò putes defuturam in rebus inferiorũ: nec enim hi quod sint inferiores officio, contemnendi sunt; sed potius eo pluris sunt faciendi, quòd iis tanquam fortioribus maiora onera Deus iniungat; tecum vero tãquam cum imbecilliori clementer agat, qui illorum non possis (quæ tua est infirmitas) more viuere: nec enim tantum habes animi, aut virium, vt noctu, diuque possis tã multa pati. Quod si cogites, quam illorum plerique læto animo suos ferant labores, quamque paucis in sustentãda vita contenti sint; deniq; si cum eorum virtute tuam imbecillitatem conferas, magnam humilitatis materiam habebis.

FAMVLI. Cum te famuli comitantur, id te confundat, quòd cũ Christum deserueris, eique debitum honorem negaueris, illi te sequuntur tamen, & magno honore prosequuntur. Adde quod tibi

tibi seruiunt, ad cæleste regnum creati: cogita, cùm tu es in peccato, & illi in gratia, indignum te esse qui illis seruias. Confundat te illud Christi exemplum, cùm discipulorum pedes lauit. Confundat quod dixit: Non veni ministrare. Confundat te tandem coram omnibus eorum creatio: sunt enim ad imaginem Dei, & similitudinem facti, & tantopere chari æterno Patri, vt pro eis vnigenitum dederit. Atque id te debet coram infidelibus confundere, quando & ad eandem imaginem creati sunt, & pro omnibus Christus est: eoque magis coram his debes confundi, quòd fidei illi lumine destituti, ijsque quibus Deus solet suos recreationibus consolari multa tamen magnaque patiuntur in ieiunijs, ceremonijs, atque eiusmodi alijs; tu verò Christianus, & Spiritus sancti gratia illustratus, donoque fortitudinis adiutus, & diuino amore subleuatus, in minimis quibusque ita fatigaris, vt leuem pænitentiam vel ferre non

posse, vel si feras, magnũ te aliquid facere putes. Excitent itaque te ad confusionem infideles: tecumque sæpe id cogita, si fuissent *In Tyro & Sidone* factæ virtutes, quę factę sunt in te,* olim in cilicio & cinere pænitentiam egissent: hoc est, si infideles, quod tu, lumen fidei recepissent, quantò Deo, quam tu, gratiores fuissent?

IVDAEI. Deplora itaque quod tã inutilis sis, talisq; vt corã Iudæis etiam confundi debeas. Crucifixerunt illi quidem Christum, sed semel, sed ignorantes eum. tu verò crucifixisti sæpe peccando, quem scires tamen ad dexteram Patris in gloria sedere. Quod si te illi confundũt, quantum putas te confundet quilibet Christianus; Etenim si Angeli imagini honorẽ deferimus propter eum quem repræsentat quãto eum in honore habere par est, qui in se viuentis Christi imaginem gerat, & Deus participatione sit; sicut scritptũ est: *Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes.*

Quò

Quò verò tandem eà absoluam, quæ ad Proximos pertinent, aduertendum id est, quod puto magnopere conducere ad confusionis cõseruationem: dæmonis videlicet exercitiũ hoc quibuscunq; potest rationibus vndique oppugnare, atque ita vehemẽter, vt magna ei diligentia opus sit, qui ab illo magnũ nolit accipere detrimentum. Est itaque necesse, ita eiusmodi veluti habitum acquisisse. vt simul ac cum proximis aliquid agendum sit, eo vnũquemq; in honore habeamus, tanquã si nostri essent omnes aut domini, aut præceptores; eaque vnumquemque attentione audiamus, eorumque consilia sequamur, tanquam si nobis per eos Deus loqueretur; caueamusque magnopere nostrum illorum iudicio iudicium præferre. Qua in re duabus de caussis peccari solet: altera, quod nemo in causa propria idoneus sit iudex; altera quod aliquando adulatione, sępe verò ex ignorantia pauci de rebus sentiunt vt par est. Itaque

non

non nunquam aſtuti, & vafri tanquam prudentes laudantur; & qui omnia irrident, ſapiẽtes habentur, cùm contra tamen de iis ſentiendum eſſet. Quocirca tutum eſt etiam in bonis tum gratiæ tum naturæ, & timere ne decipiamur, & Deo in omnibus, quæcunque in alijs viderimus, gloriam dare omniaq; ſemper in meliorem partem interpretari. Quod ſi contingat eos aliquid facere, quod rectum eſſe non videatur, ne vtique iudicemus, quando in noſtris non nobis licet iudices eſſe: ſed vel excuſemus factum, vel in de mente auerſa eorum benè acta conſideremus, noſtraque cum illorum virtutibus vitia comparemus, ne vllum confuſionis gradum (ſi aliter agimus) amittamus. Itaque ſi viderimus vel mortaliter peccantes, id cogitemus vel feciſſe ex ignorantia, vel iam ad Dei gratiã per pœnitentiam redijſſe, futurumque illis peccatum maioris hic pænitentiæ, adeoq; gloriæ in cælo perfectioris occaſionem.

QVÆ IN CONVERSATIONIBVS CONFVNDVNT NOS.

Ne vero quicquam Confusioni depereat, aduertendum in conuersationibus, vbi maiora solent esse pericula.

MANSVETVDO. Vt si de mansuetudine agatur, veniat in mentem irarum tuarum.

PVLCHRITVDO. Si de rebus pulchris, tuorum peccatorum fœditatis recorderis.

POTENTIA. Si de magnatum potentia sermo fiat, id consideres, quàm nihil sis, nihilque possis, tum etiam cùm maximè aliquid efficere coneris.

AVARITIA. Si de auaritia quis loquitur, tua inordinata desideria.

HVMILITAS. Si de humilitate, tuam superbiam memineris: atque ita in reliquis.

VITIA. Cùm mentio sit vitiorum, nostrorum recordemur.

VIRTVTES. Cùm autem virtutum, eas nobis deesse cogitemus.

Ita

Ita fiet, vt confusionis materia nobis semper suppetat, idque in conuersationibus præsertim, vbi maius est confusionis amittendæ periculũ.

At verò, vt ad eam, quæ ex nostrarum rerũ considerationibus nascitur confusionem propius accedamus, pauca quædam attingenda nobis sunt breuiter, nam lectori profundiorem eorum consideratione nem relinquimus.

PRAELATI. Prælatum igitur confundat, quod cùm Christus dicat, *Animam meã pono pro ouibus meis:* ipse in pascendis ouibus adeò sit negligens, vt ne eas quidem agnoscat omnes.

SACERDOTES. Si Sacerdos, cùm Christus dicat, *Qui mihi ministrat me sequatur*: quam ipse vitam instituerit, quæque his manibus egerit, quibus solet in sacrificio Christum tenere.

CONCIONATORES. Si concionator est, confundatur quòd Christi officium exerceat, quodque eius quæ prædicat exempla non sequatur

quatur, neque hisce, quæ dicit, consentanea opera faciat. veniat & illud in mentem, *Eloquia Domini, eloquia casta*: Videatq; si non satis mũdum vas sit, quanta sit confusione dignus, illudq; timeat. *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meũ per os tuum?* Quod si Paulus timebat; ne, cùm alijs prædicaret, ipse reprobus efficeretur: quantum debet quisque concionatorum timere, seque magnopere confundere?

PRAECEPTORES. Confundãtur præterea Præceptores, & Doctores, vt qui confusione præcipuò opus habeant. Ait enim Apostolus: *Scientia inflat.* Quod si quis ob scientiam extollitur, ea vel maximè causa confundi debet: plus enim in eo sapit quam oporteat, sapere.

DISCIPVLI. Confundat discipulos sua ipsorum ignorantia, qui nisi docerentur brutis animantibus similes essent: simul etiam quod parum & in litteris proficiant & sua alijs scientia prosint cum debeant

debeant tamen eò magis prodeſſe multis, quò fuerint ſapientiores. denique quod cùm addunt ſcientiam, addunt etiam & dolorem.

RELIGIOSI. Religioſus autem multo magis debet coram infidelibus, & Chriſtianis reliquis confundi, quando ei non ſolum fidei lumen datum eſt, Chriſtiq́ue iugum dulce impoſitum; ſed & vita omni ſolicitudine vacua, ſpeciali quodam priuilegio conceſſa. Confundatur quòd ex tam multis millibus electus ſit, qui ſi vocati fuiſſent, multò erant Deo gratiores futuri. Confundatur quod tam negligens, & diſtractus ſit in choro, vbi Deo aſſiſtunt Angeli. Confundatur ob ſeruitia fratrum in culina, in valetudinario, atque alijs locis ipſi exhibita, qui neq; qui ſeruiat, dignus eſt. Confundant eum in cœnaculo fercula, quæ Deus ipſi ſine vllo ipſius labore, aut ſolicitudine opponenda curat: veſtes etiam, quibus induitur, & omnis domeſtica ſupellex in eius vſum parata: cumque his ho-

his homines, quorum opera agri etiam, quorum cultu omnia denique, quibus tanquam medijs res eæ in hunc tandem ſtatum ad eius vtilitatem deuenerunt. Super omnia verò debet eum confundere, quòd ſeruus Dei dicitur, qui ei tamen, ſæpe ſit inimicus. Nomen certe id eſt, de quo Virgo beatiſſima tanquam gloriabatur, cùm ſe diceret, *Ancillam Dei*, quodq́ue magnopere ſuperbos quoſque confundere debeat.

CONFVNDAT NOS DOMVS DEI.

Confundat præterea Religioſum magis, magiſq́ue domus Dei, quam tanquam filius inhabitat: cùm tamen à Patris cæleſtis perfectione tam longè abſit, quotq́ue in ea paſſus conficit, tot tanquam fluctibus in confuſionis pelago immergatur. Nam ſi *domum Domini decet ſanctitudo*, quomodo in ea iniquum fert Deus? aut cur ab orationis domo non eijcitur indeuotus? Si porrò eiuſmodi eſt domus Domini, vt magnus & Rex, & Propheta Dauid

eligat

eligat in ea potius, quàm alibi habitare, seq; in ea contemptum, & abiectum esse pro beatitudine ducat: quanta eius debet esse confusio, qui illic inuitus maneat! aut si manet libenter, tanto tamen est Dei beneficio ingratus!

CEREMONIAE RELIGIONIS.

Postremò eum omnes Religionis ceremoniæ confundant, quando eas vel non intelligit quorsum spectent, aut non aduertit, aut graues esse putat, aut sibi deniq; vtiles esse non curat.

PIORVM ELEEMOSYNAE.

Confundatur cùm pro amore Dei eleemosynam petit; est enim ea res insignis cuiusdam priuilegij: cogitetque quale sit, quòd pro ipso Deus, tanquam qui indigeat, his qui ei mendicanti aliquid dant, se debitorem constituat, eique suum thesaurum crediderit. Quod si aliquando quæ ipsi Dei causa data

data sunt, non in eum, in quem petijt, vsum insumpsit, tanquam, sacrilegus confundatur, qui Deo auferat quòd ipso petente alij Deo dederunt. Cogitet cum petit tanquam pauper, nisi animo pauper sit falso se nomine petere: si verò petit ex curiositate, adeoq; contra quã Deus vult, deceptor est, & more eorum, qui falsis vtuntur diplomatis, nummos à proximo surripit.

ANGELORVM MVNVS.

Confundatur denique, quòd cùm Dei nomine petit, Angelorum munere fungitur, qui ab hominibus semper tanquam Dei legati petunt: ab alijs quidem, vt pauperibus subueniant; ab alijs autem, vt iniurias sibi factas remittant; ab alijs verò, vt Deo quam debent gloriam, & honorem dent. Cùm verò eleemosynam acceperit, cõfundatur, quòd & danti Deo, & proximo ingratus sit: ita autem fiet, vt cùm ei aliquid erit petendum; incipiat confundi, vt qui intelligat, quanta eum eleemo-

eleemosyna obligatione deuinciat: solumque necessaria petat, quando eo maiori obligatione obstrictus est, quo plura acceperit.

PEREGRINATIO.

Cùm verò peregrinatur, caueat in eam cogitationem veniat, vt se Apostolicam vitam agere putet. sed illud potius cogitet, eam pænitentiæ loco sibi esse vitam attributam. Quod si est è Religiosis inclusis, putet se, tanquam feram indomitam, voluisse Dominum ab hominum conuersatione remouere.

REGES ET PRINCIPES.

Si Rex sit, aut Princeps, confundatur, quod in eo statu sit, quē Christus vitauit, cum eum vellent Iudæi Regem creare. Mirum verò est, audere quemquam id munus assumere, quòd Christus recusauit, nisi forte id pro cruce habeat & Christi amore subeat.

DOMINI. Confundantur Domini, quod sint in requirendis reditibus valde diligentes; in puniendis autem peccatis publicis admodum negli-

negligentes : timeant verò, quòd pecunia, alijsque bonis vtantur tāquam suis, nec eius soleant meminisse, à quo cuncta acceperūt. Confundantur porrò, quod se magnum aliquid facere putant, cùm eleemosyna pauperi subueniunt ; nec cogitāt se dare aliena, Deoque quę sua ipsius sunt reddere, in eoque, in quo se putāt beneficium facere, magno à DEO beneficio cumulari. Quod si vel tum, cùm eleemosynā dant, se debet confundere, quanto magis cum in vanos vsus pecunias expendunt!

EQVITES. Cogitandum autem est equiti, in Euangelij defensionē adeoque ad promouendū honorē Dei, assumptum sibi fuisse gladium. Quod huius rei memoriam proprij honoris studium delet, suumq; diuino honorem præfert, quid nisi Euangelij persecutor est? Confundatur igitur tanquam Deo infidelis, cogitetque se quamquam ab hominibus honorabilis habetur, esse peccati seruum, adeoq; Dei Sancto-

rum iudicio nullo non modò dignũ honore, sed inferni supplicijs destinatum.

COMMENDATARII.

Commendatarij autem, qui in Religione aliqua professionem fecerunt, de obseruationis votorũ negligentia cõfundantur: eoq; magis, quod sciãt, quàm ægrè ferre soleant sibi ab alijs præstitam fidem nõ seruari, vtque de his qui sibi aliquid promiserunt, plerumque ob violatam fidem pœnas sumant.

FAMVLI. Confundãtur famuli, quòd adeò sint soliciti in dominorum gratia ineunda: quam si diligentiam in Dei seruitio adhibuissent, quãto citius quãq; veriorẽ gratiã inijssẽt! *Seruire.n. Deo, regnare est.*

IVDICES. Cogitent iudices, quanta seueritate in reos sententiam ferant: confundãtur verò, quòd Dei iudicium, de quo scriptum est, *Iudicium durißimum his qui præsunt fiet*, nec secum diligenter reputent nec perhorrescant.

ADVOCATI. Confundãtur aduocati,

uocati, quod cùm alienis causis patrocinium ferant, sint tamen conscientiæ propriæ magnopere negligentes: nec verò idcirco efferantur, quod sua alios videant opera indigere; indigent enim & ipsi multorũ auxilio, in his quæ ad animam pertinent.

MEDICI. Confundantur medici, cum cogitant, quemadmodũ ægrotos tractent, quando sciunt, cum in morbo ipsi inciderint, quãta velint valetudinem suã diligentia procurari. Cogitent etiam animarum suarum vulnera: eoq; confundãtur quod cùm medici appellentur, peritiores tamen sint inducendi in se morbi, quam pellendi.

MERCATORES. Confundat mercatores solicitudo ea, quam in emendo vili, caroq; pretio vẽdendo adhibent: ea propter ignorantes quod regnum cælorũ, quòd gratis datur, cõparare nesciũt; emunt verò infernum, quod magno & pretio emitur, & dolore possidetur.

Vt vero etiã ad reip.ub. artifices veniamus

SARTORES. Confundãtur sartores, qui tantum in conficiendis alienis vistibus studium adhibent, cum sint ipsi tamen innocentiæ vestis acceptæ in Baptismate valde negligentes.

SVTORES. Confundantur prætere a sutores, qui cùm in durissimũ etiam corium acu penetrent, in se tamen diuinas inspirationes penetrare non sinant.

FEMINAE. Et quis autem possit de feminarum statu pro dignitate disserere, his præsertim tẽporibus, quibus est tantopere vanitas hominum aucta?

VIRGINES. Confundantur itaque virgines, quòd sæpe statuerint nubere. Et si enim id licitũ est, quanto tamen satius Christo solo sponso esse contentas! atq; essent quidẽ ipsę Christo solo contẽtę, si eum quãto possent amore diligerẽt.

NVPTAE. Confundantur nuptę quòd in ornandis se sint admodum diligentes, eiusq; rei causa tã multa insumant; contrà verò in eo negligen-

gentiſſimæ ſint, vt Chriſtum induant. Cùm ſe torquibus aureis ornant, meminerint ferreas fuiſſe CHRISTI catenas, eique ignominiæ cauſa iniectas. Cùm autem manus armillis ornãt, ligatas Chriſti manus fuiſſe recordentur. Cùm porrò ſe veſtibus albis elegantiæ cauſa induũt, fuiſſe Chriſtum alba veſte indutum ignominiæ cauſſæ meminerint. Et confundantur non ipſæ modò, ſed etiam viri, qui cùm eiuſmodi veſtium lautitias ferunt, Chriſti vituperijs gratiam parem non referũt. Quod ſi illæ manuum ſuarum opera conſiderent, detrahent, credo, digitis, annulos, vt ijs qui ornamẽto digni non ſunt, cum feminis Chriſtanis opera indigna fecerint.

VIDVAE. Cõfundantur viduæ, quæ virorum mortem tam ægrè ferunt, quòd cũ ipſis Deus omnia impedimẽta perfecti in ſe amoris abſtulerit, tanto beneficio adeo ingratæ ſit vt ſibi melius cũ creatura fuiſſe, quam cum Creatore, adeoq;

Deum spernere, impatiēter lata virorū morte significare videantur. Conquerūtur enim ereptos sibi viros: sed profecto de illis æquius cōqueratur Deus, qui se ab illis sperni videat. Confundantur ergo illę, audiantq; in hæc verba conquerentē Dominum: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderūt sibi cisternas dissipatas, quæ continere nō valent aquas.* Itēq; illud: *Quid inuenerunt in me iniquitatis, quia elongauerunt se à me.*

Atque hæc de statibus dicta sufficiant, ne propositam breuitatem excedere videamur: simul etiam quod facile ex dictis reliqua colligere; & si quis ea quæ diximus diligenter cogitet, se confundendi occasionem semper habere.

CONFVNDAT NOS MEMORIA.

Iam, vt ad interiora veniamus, Confundere, ô homo, de memoria tua: cū enim hanc admirabilem potentiā tibi scias à Creatore in id esse datā, vt sui posses & sēper, & suauiter meminisse; tu tamen in ea vilia

vilia quàm plurima reposuisti, hisque eã ita occupasti, vt vix eius qui eam dedit, posses recordari: itaque fit vt nulli ipsa minus quàm Creatori seruiat. Cõfũdere igitur, quòd ea in Domini sui iniuriam abusus sis, quodque cum in mentem tibi sępe reducatur, ab Ecclesia quidẽ quis sis, admoto quotannis cinere capiti, atque illis verbis additis, *Memẽto homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris*: à scriptura verò nũc quidem finis tuus, cùm dicit, *Memorare nouißima tua*: nunc verò ea quæ causa tua Christus passus sit, cùm dicit *Recordare paupertatis, trãsgressionis meæ, absynthij, & fellis*; alias autem sæpe alia tu tamen nihil minus quam hæc, & huiusmodi alia meminisse videare: vt meritò flere debeas, & cũ propheta dicere, *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum*; eoque confundi, quòd in Dei aliquando obliuione fueris recreata.

INTELLECTVS. Iam verò vt ad intellectũ transeamus, quan-

tus se in eo confusionis campus aperit? qui cum intelligat se in eum finem creatum esse, vt summum bonum intelligeret, sæpe tamen non vana modò, & inutilia, & transitoria, sed pessima etiam cogitat, atque in ijs denique occupatur, quibus intelligit minimè debere esse intẽtum. Flendum tibi certè est malum hoc, & quanta possis confusione deplorandum.

VOLVNTAS. Quid autem de volũtate dicemus, qua cum Deũ super omnia deberes diligere, ea tamẽ fueris prosecutus, quæ vel cogitare pudeat, nedum dicere? Quid tibi inquam, dicã ô cæca voluntas, quæ bonis æternis sensuum delicias prę-tulisti; quam cùm dulcis Dei charitas in Seraphinorum choro posset constituere, mundi fœdus amor in inferna deiecit. Meritò quidẽ, ô anima, tuæ te debent potentiæ confundere, in quibus tam fędatam videas imaginem Dei: possis tu quidem eas, & debes cum dolore ijs verbis reprehendere, *Ecce Adam*

qua-

quasi vnus ex nobis factus est, deque eis in hunc modum conqueri: Quis vos, ô potentiæ, ô imago Dei, quis inquam, vos perdidit? quis tibi ô memoria, Dei memoriam abstulit; quis tibi ô intellectus, mentē eripuit? quis te decepit, ô voluntas? O quam illud quadrat in te, ô anima: *Facti sunt principes eius sicut arietes non inuenientes pascua?* More enim arietum cùm pascua non inueniunt potentiæ tuæ, quasi in Deo pascua non haberēt, venenata pascua quęsierūt: adeoque ea causa viribus defectæ sunt, vt magna debeas confusione confundi.

Ad sensus transeamus.

OCVLI. Dedit quidem Deus oculos, vt creaturarum pulchritudine cōspecta, in re omni se amares ipsiq; pro omnibus gratias ageres: tu verò contrà quæcunque vides consumis. aut ira veluti ardens, aut auaritia concupiscens. Itaque cum oculi tui coram Deo esse deberent, *sicut oculi ancillæ in manibus dominæ*

suæ, basilisci (qui quæcunq; conspicit visu interficit) oculi facti sunt. Confundere igitur, quo lumen tibi datum in tenebras verteris.

AVRES. Quodque aures & sanctis inspirationibus claudis & murmurationibus aperis.

LINGVA. Quod qua deberes Deum lingua benediceer, hominibus maledicis.

NARES. Quòd cùm folicitus sis ne quicquam male oleat, graue olens tamen peccatum non sentis:

TACTVS. Quod denique durũ esse videatur, siquid est pro Christo patiendum: suaue verò sit quòd pro mundo pateris.

Deplora itaque sensuum mala, atque eius rei memoria humiles tibi, & confusionis plenas lachrymas exprimat.

CAPVT. Quòd si necdùm satis hæc sunt, te caput tuum confundat, quod spinis presſum non sit.

CAPILLI. Confundant capilli quod non sint euulsi.

MANVS & PEDES.

MANVS autem, & pedes, quòd

non transfixi clauis: reliqua te deniq; membra confundant, quòd cū nisi Dei virtute moueri nō possint, fueris tamen tu pedibus Christum persequutus, manibus autem, atque operibus ipsum vulneraris, & lingua læseris. Dinique si recta ratione rem reputes, tu tibi magna solus cōfusionis materia es: nec enim est in te quicquam, de quo si diligenter cogites, non debeas magnopere confundi. Quod si in te sint, quæ non intelligas, vel ea causa maximè cōfundi debes, quòd te ipse plenè non noueris. Nam vel quæ sit anima, aut quid in se habeat, aut corpori quemadmodū vnita sit, deniq; vt sit à corpore separāda, si ex te ipse quęras, scio nō poteris respōdere. Quod si in rebus proprijs tā es inscius, quam eris, obsecro, in alienis! Illud interim verum est, & in his quę de te scis, & in his quæ ignoras magnam tibi confusionis materiam suppetere.

BONA. Quod si mihi quisquam hoc loco obijciat, non in bonis, sed

in malis tantum operibus confusionis causam reperiri, id ego negauerim: puto enim in bonis etiam propterea nos debere confundi, quod ad bonũ simus admodũ imbecilles, ideò verò procliues in malũ, vt magis mirum sit, ex tam corrupta natura boni aliquid prodire quã ex rosario rosam nasci: est enim id roseto naturale, vt rosam proferat; at perfectum opus non sola hominis natura potest producere: nec enim DEO gratum quicquam sine eius gratia esse potest. Qui ergo miratur inter spinas ortam rosam, multò magis mirari debet boni aliquid à se factum; tãtoque magis confundi, quod videt, vt in sterili solo, dignoque quòd ob peccata in Deum maxima sale conspergatur, operetur mira DEVS atque adeò excolere perseueret. Quare non de malis tantum operibus nos, sed de bonis etiam confundi possumus, & debemus. Si qua enim facimus bona Deus est qui ea in nobis cœpit, fecit,
atque

atque perfecit: nostrum illud est, vt magis, magisque confundamur, atque humiliemur, qui Deo tam sæpe restituerimus, eamque quàm meruimus pœnam eius clementia euaserimus.

TERTIA PARS.

Qua traditur quemadmodum cælestium rerum contemplatione poßimus confundi.

VIx scio quibus possim verbis de cælestibus dicere, qui ne in terrenis quidem pro dignitate, quanta in his confusionis causa sit, potuerim declarare.

CONFVNDVNT NOS Cæli.

Est quidem certè vel in sola cælestium motuum contemplatione, magna confusionis materia, si cum tam admirabili ordine, nostrorum actuum inordinationem conferamus.

PLANETAE. Iam verò de planetis quid dicam; quos scimus semper & à superioribus recipere, & quam receperint virtutem perpetuò

inferioribus communicare; Vnus ex rebus omnibus homo eſt, qui ſibi, quo minus à Deo cæleſtia bona recipiat impedimento eſt; eaque cũ receperit, alijs negligit impartiri.

STELLAE. Cùmq; cæli omnes, & ſtellæ Solis lumine veſtiantur, vnus homo Solis iuſtitiæ lumine indui recuſat magiſque (quemadmodum ſcriptum eſt) *tenebras diligit, quam lucem.*

ANGELI Quod ſi Angelos contemplemur, quantum eorum, quæſo, nos puritas atque innocentia confundet! quantum id, quod eorum tanta & ſapientia, & charitate præditorum conſilia tam neceſſaria negligimus! Deficient me quidem verba, noſtram pro dignitate confuſionem explicare volentem, ſiue cum Seraphinorum amore tepiditatem noſtram, ſiue cum Cherubinorum ſcientia noſtram ignorantiam comparemus.

Quòd ſi cui fortè videbitur ſubliores eſſe Angelicos ſpiritus, quã vt cùm his puluis noſter, & cinis debeat comparari? SAN-

SANCTI. Ad ſanctos veniamus qui carne, & ſanguine conſtiterunt: neque eis (quanquam hominibus) humana fragilitas impedimento fuit, quò minus pro Dei honore magna quædam, & admiranda opera perpetrarent : Cæleſtium itaque hominum, terrenorum facta confundant:

MARTYRES. Martyrum quidem in tormentis conſtantia, & virtus, noſtram in propoſitis inconſtantiam, atque infirmitatem.

CONFESSORES. Confeſſorum verò pœnitentia, vitæque auſteritas, noſtras delicias.

VIRGINES. Virginum autem puritas, maximeque noſtri Domini, turpitudinem noſtram confundat.

MATER DEI. Atq; illud etiam, quòd ſacratiſſimæ Virgini cùm ſimus obligatiſſimi, propter filij educationem, qui eſſet pro nobis Patri in cruce offerendus, gratiam tanto beneficio parem nunquam rependimus : quin etiã ſumus ingrati,

adeo

adeo vt nec ab ea misericordiã petere præ pudore audere deberemus.

CHRISTVS. At verò in Christi consideratione, quis possit pro dignitate confundi; aut quæ hic profunditas confusionis satis esse potest, vbi, quis considerat Christum, quod vnicum habet remedium, atque confugium, ita spreuisse, vt possit ille meritò dicere: *Proiectus sum à facie oculorum tuorum?* Eius enim pedum vulnera, segnities tua & torpor inflixit: eius latus tua inobedientia aperuit: manus eius opera tua clauis confixerunt: tua illi lingua fel propinauit: postremò, tua eius caput superbia spinis cinxit. Atque, vt vno verbo dicam, nihil est in Christo, quod cùm videas non debeas meritò confundi: siquidem scriptum est: *Confundantur superbi, quia iniustè iniquitatem fecerunt in me?*

SACRATISSIMA TRINITAS.

Iam verò quid dicemus de confusione, quam sanctissimæ Trinitatis

tatis conſpectus affert? aut quanta erit coram Deo confuſio, ſi coram dæmone tanta fuit? Quibus porrò oculis audebis Patrem æternum aſpicere, qui eius vnicum filium ab illo miſſum, vt à te diſſipatam hæreditatem recuperaret, non ſolùm (vt par erat) non excepiſti, ſed in crucem etiam adegiſti? Quam reddes Deo pro credita tibi hæreditate rationem? Quid verò pro his quæ ab eo accepiſti & temporalibus, & ſpiritualibus bonis reſpondebis?

FILIVS.

Quid porrò dices Dei Filio, qui pro te omnia paſſus eſt? Poteſt quidem ille meritò hominibus dicere: Confundantur homines, quod cùm ego Deus è cælo in terras eorum cauſa deſcenderim, proque eorum ſalute homo fieri dignatus ſim, nolunt illi tamen mea cauſa peccati ſordes relinquere. Confundere, ò homo, quando priùs ego te dilexi, quàm tu me diligeres: priùs ipſe ſeruiui tibi, quàm mihi ſeruires. O dura hominum corda! ô ferrea pectora!

ctora! qui cùm me alligatum columnæ videant, flagellis cæsum, & vulneratũ amore, alligari peccato malunt, quàm mihi adhęrere, meoque mundi amorem honori præponunt: nec intelligunt quàm sæuis à dæmone flagellis cædantur, peccatorum vinculis colligati. Dedi ego homini viscera mea, quibus tanquã firmissimæ columnæ complexu adhærescat: contemnit ille tamen eaq; sequitur, quę ipsum corã me meritò condemnent. O hominum ingratitudinẽ! ô insensatas humanas mentes! mihi seruiũt bruta, me arbores atq; herbæ laudant, vnus ex omnibus homo nõ agnoscit: sed more rabidi canis, qui Dominũ suũ morsu petit, cõtra me insurgit, dignus quẽ terra dehiscẽs absumat. Cõfundere ô homo, pro quo Agnus mansuetus factus sũ, & leo esse ferox tandẽ aliquãdo desine. Amplector ego te charitate, tu me cupiditatis flagellis cędis: cumque ego te pretiosis humilitatis margaritis ornem, tu meo superbiæ spinas capiti infigis.

Intel-

Intelligant aliquando homines, non arcis includenda, sed in pauperes eroganda bona accepisse. Considerent quantoperè à me diligantur, quos ego, ab ipsis in carcerem cõiectus, inferni carcere eripiam: quemq; illi non desinũt ingratitudine crucifigere, ego charitate in charitatis viam reduco. Confundere, ô homo, quem cùm aspiciunt Angeli, tum contemptui habent, & decipiunt dæmones, atq; in conspectu meo condemnant. Confundere, inquam, & iudicium meum time, qui nisi hîc confundaris, & peccata tua fleas, magna te manet, & amara confusio. Quem verò non confundat, quòd ego Deus & Dominus venatoris more perpetuò homines insequor, ne mihi qui tanti constiterint fortè pereant; illi verò me tanquam venenosum serpentem semper fugiunt? Cur me non timent, & mea iudicia? Cur non vitam mutant, qui mortis nec horam, nec diem sciunt?

SPIRITVS SANCTVS.

Quid

Quid autem Spiritui ſancto reſpondebis, aut quo ipſi ore loqui audebis, qui ei toties animæ tuæ portas occluſeris, eumque à te (vt dæmonem reciperes) impiè, atq; imprudenter excluſeris? Confundimini, ô miſeri homines, quos cùm Deus crearit, vt eſſetis filij Patris veſtri qui in cælis eſt, digna tamen cæleſti Patre opera vix vnquam faciatis. Eſt in eo infinita manſuetudo & benignitas, paratuſque ſemper eſt peccata remittere: vos verò iniquitate pleni, non ſolùm factas vobis iniurias non condonatis, ſed his etiam qui de vobis nihil malè meruerunt, iniuriam facitis. Eſt in eo ſumma bonitas, qua inimicis etiam, dum eos ſemper conſeruat, benefacit: vos autem etiam amicis malè facitis. Eſt in illo æterna ſapientia, & prouidentia admirabilis, qua vniuerſum moderatur: in vobis autem inſigne omnia perdendi ſtudium, modò vt ſoli regnare poſſitis. Sed vos per Prophetam Deus ita reprehendit: *Nunquid habitabitis*

tabitis vos soli in terra?

Conclusio operis.

Me non materia, sed tempus deficit: sint itaque satis hæc sapienti lectori, qui possit ex paucis multa colligere, & confusionis fructum consequi; si præsertim assiduè, & diligenter in his se exerceat: quod quisque debet eò maiori studio facere, quòd in eo maxima spiritualis fructus pars posita sit, vt nostram infirmitatem, & miseriam agnoscamus. Quod qui consequuti sunt, atque eiusmodi fundamento iacto ædificare cœperunt, possunt illi reliquam partem tutò superexstruere: nam qui secus opus ædificant, his cùm altius opus surrexerit, solet corruere. Accidit enim, vt orationis consolationes, quæ ad virtutes solent conferre, nisi humilitate conseruentur, in falsas, fallacesque consolationes euadant. Ita boni desideria bona quidem sunt: sed si ea nobis ita tribuamus, vt non Dei esse beneficia agnoscamus, cùm magnoperè fallimur, tum non possumus,

mus, tam infirmo iacto fundamēto, quicquā firmū extruere. Quamobrē qui sua vult opera esse perfecta, ea & confusione incipiat, & conseruet, nec nisi confusione comitante progredi quoquā audeat. ita fiet, vt qui confusionem nunquā deserit, à Deo nunquā deseratur: qui *cor contritum & humiliatū nunquā despicit*, sed *cum humilibus libenter conuersatur*. Hanc possumus dicere nuptialem vestem, qua qui erit indutus, à nuptijs non excludetu r. Hoc est insigne filiorum Dei: hac indui oportet qui Christū sequi velit, quando ipse ea ita indutus est, vt diceret: *Tota die verecūdia mea cōtra me est, & cōfusio faciei meæ cooperuit me*. Quòd si etiā Christi faciem confusio cooperuit, quę est Angelorū speculū, & Sanctorū gloria; cur nō ea peccatoris facies cooperiatur? aut quis nisi ea indutus in Dei conspectū venire audeat, cùm scriptum sit: *Induantur qui detrahunt mihi pudore, & operiantur sicut diploide confusione sua*? Attēde porro dicentē Dominū. *Super quē* *requi-*

requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos. Quod ſi iuſtos etiã induit Deus cõfuſione, non eſt quod ſe putet peccator ſine ea viuere poſſe: cũ præſertim non ſolũ iuſti in terra, ſed etiam in cælo Sãcti veſte hac induti ſint. Quod vel ex illis Euangelij verbis intelligi poteſt, quibus Chriſtum in die iudicij ita alloquũtur: *Quando te vidimus eſurientẽ, & pauimus te?* id enim dicunt tanquã admirati, tã paruis operibus, tãta ſe præmia meruiſſe: id quod ſatis Auguſtinus indicat, cũ ſic dicẽtes inducit: Domine, cur tantã, & talẽ nobis gloriã pręparaſti? Quod ſi hæc nos humilitas in cælũ euehit, æquũ eſt eam hic amplecti, eiq́; nos tanquam tabulæ in naufragio credere, neque dubitare futurũ, vt ei innixi, periculoſo miſeræ huius vitæ pelago traiecto, in cæleſtem tandem aliquando portum Dei miſericordia perueniamus. Amen.

FINIS.

Laus Deo Beatæque virgini Mariæ.

Wiecie o Xiężycu dla czego że Ćmi
j zaćmienie swoie miewa. Dlatego
że ziemia zasłania słońce która
niedopuszcza promieniom słonecznym
aby oświecały Xiężyc, tak j Xiężyc
[illegible] ~~[illegible]~~ [illegible] zakryje kiedy od
słońca [illegible] niema żadnego [illegible]
zaćmienia ~~[illegible]~~ Miesiącami [illegible]
[illegible] j tak iak Miesiąc [Xiężyc] [illegible]
[illegible] bo go tak [illegible] [illegible]
się musi. [Eclypsis] ~~[illegible]~~ Luna est
paries obumbratus Corporis
lunaris ratio mutabilis luna ita
et Sol

P M

D M